







1708.

1. Bohm, Christian Michael: De sepultura et sepulchris.
2. Janus, Henr. Fredericus: De iurejurando per genium principis.
3. Lange, Martinus: De successione clerici in geratam matrem.
4. Langius, Martinus: De octiduo Saxoniae rebusque intra illius expeditionis.
5. Langius, Martinus: De actuum transmissione.
6. Menckenius, Jo. Bernhard: De viris notitie acque ac scriptis Illustribus.
7. Jo. Menckenius, Bernhardus: De commentariis historicis, quos Gellii „memories“ vocant. 2 Tomi. 1708 & 1740.
8. Menckenius, Ludovicus: Tractationis synopticae procer. Jus juris communis et imperialis Saxonie Electoralis disputatio IX.

1768.

9. Meuklerius, Ludovicus: Tractationis synopticae
processus juris communis et expressis Jussuris
Electoralis Silesiæ IX.
10. Olearius, Joan. Frid: Programma, quo ad electionem
auspicialem invitatur.
- 11^a Olearius, Jo. Frid: De usufructu omnium bono-
rum legato.
12. Olearius, Jo. Frid: Presentatio I. occasione
leg. LXXIII pro. sig. d. 7. f.
13. Schacherus, Joh. Christophorus: Per restricta testatoris
potestate.
- 14^a Schellius, Johannus Christianus: De ortu et pro-
gressu doctrinae imperii Germanici. Oratio, cum
sibi collatum docendi munus auspiciaretur. 2 Sept.
Dec. 1769.
15. Trappanneger, Jo. Frid: De momento temporis



1708, 11
3469-1346

DE
VSVFRUCTV
OMNIVM BONORVM
LEGATO

Occasione L. 29. ff. de Vsufructu

CONSENSV

MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS

IN ACADEMIA PATRIA

PRÆSIDE

D. IO. FRIDER. OLEARIO, P.P.

PVBLICE DISSERET

M. CAROL. GODOFRED. ITTIGIVS.

LIPS.

AD D. XIX. IVNII ANNO MDCCVIII.

LIPSIÆ,

LITERIS IMMANVELIS TITIL.

M. Manius & P. P. Manius M. Titius.



VSVFRVCTV
ONNIVM BOKORVM

MAGNIFICI ICTORI M. ORDINIS
IN ACADEMIA LITTERA

D. D. FRIDR. CLAUDIO P. P.
M. CAROL. GODFRED. HICHERS.


AD D. LXX. JULII. MDCCLVII.



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

1. *Occasionem totius huius Dissertationis conscribendae exponit.*
2. *Quae Methodus in praesenti adhibeatur.*
3. *De Autore Legis nostrae sermo instituitur.*
4. *Quid per omnia bona intelligatur.*
5. *Vocabulum Vsusfructus exponitur.*
6. *Vox Legati excutitur.*
7. *Quid Dodrans fuerit, explicatur.*
8. *Celsi & Iuliani ICtorum mentio fit.*
9. *Rationes Legis nostrae suppeditantur.*
10. *In Originem Vsusfructus omnium bonorum inquiritur.*
11. *Quibus Personis Ius usumfructum generalem constituendi competat.*
12. *Quibus ususfructus Vniuersalis relinqui possit.*
13. *Principi litis causa Vsusfructus generalis legari nequit.*
14. *Qua ratione pia causa usumfructum bonorum omnium percipere possit.*
15. *An Vsusfructus Generalis novae Coniugi relinqui potest?*
16. *Non liberi ex damnato coitu nati ad hunc usumfructum admittuntur.*
17. *Quid sub Vsusfructu omnium bonorum contineatur.*
18. *Quomodo Vsusfructus Generalis se exerat in rebus incorporalibus.*
19. *An Vsusfructus noster res futuras comprehendat.*
20. *Huc non referuntur res extra commercium constitutae.*

21. An res litigiosae in hunc censum veniant.
22. Qua ratione ususfructus Generalis se ad Feudum extendat.
23. Quomodo in Fideicommissis ususfructus Generalis locum habeat.
24. Quid decidendum sit de Gerada & Heergewetta.
25. Modus legandi usumfructum omnium bonorum proponitur.
26. Quid statuendum sit, si facultas alienandi adempta fuerit.
27. Praesumpta quoque Testatoris voluntas interdum sufficit.
28. Ususfructus generalis non excedat Dodrantem.
29. Neutiquam vero legitimae debet praesudicari.
30. Mater in legitima Patri usumfructum adimere nequit.
31. Nec portioni Statutariae hic ususfructus obest.
32. Ususfructuarius noster ad Inventarium conficiendum est obstrictus.
33. Nec minus cautionem praestare debet.
34. Vtrum traditio accedere debeat.
35. A quo tempore ususfructus noster peti possit.
36. Effectus explicantur.
37. Quae Iura Ususfructuario in metallis, & Iure patronatus competant.
38. An Ususfructus liberet a cautione pro Reconventionione & expensis.
39. Quibus actionibus uti liceat.
40. Onera quoque ad Ususfructuarium Generalem spectant.
41. An ex ususfructu generali Legata, & aes alienum solvi debent?
42. Modi dissolvendi Usumfructum generalem recensentur.
43. De Ususfructu omnium bonorum n. c. donato agitur.



DISSERTATIO
DE
VSVFRVCTV OMNIVM BONORVM
LEGATO.

I.



Ecce a Pomponio Icto in L. 69. ff. *Occasionem totius huius Dissertationis conscribendae exponit.* ad Leg. Falcid. monitum fuit: Post Senatus-Consultum nullam rem esse, quae non cadat in ususfructus Legatum. Licet enim M. T. Cicero Libro Topic. ad Trebat. contrariae patrocinari videatur sententiae, cum ita sermonem instituat: *Non debet mulier, cui Vir bonorum suorum usum-*

fructum legavit, cellis vinariis & oleariis plenis relictis, putare ad se id pertinere: Usus enim & non abusus legatus est. Huic tamen Ciceronis opinioni tantummodo suo tempore auctoritas constituisse videtur. Ast vero successu temporis Senatusconsulto permissum fuit, ut earum quoque rerum, quae usu consumuntur, legari ususfructus possit, & cautione proprietario succurratur. L. 1. & 2. ff. de Usufr. ear. rer. quae usu consum. hinc dubium nullum superest, hodie ea, quae a Cicerone asserta fuerunt, neutiquam attendi; ob verborum enim generalitatem, mentemque testatoris etiam vini & olei ususfructus uxori debetur. L. 37. ff. de Usu &

A

Usufr.

Vsuf. Leg. confer Alciat. *Libr. 7. Parerg. c. 2.* Quae igitur a Cicerone dicto loco dicta fuerunt, calcaria mihi addiderunt, ut speciminis loco Dissertationem ex Iure desumptam conscripserim haud abs re fore existimaverim, ut accuratius inquirerem, quatenus Iura Usufructuario universorum bonorum tribuenda veniant. Commodissimam vero disserendi occasionem suppeditabit *L. 29. ff. de Vsuf. & quemadmod. quis ut at.* quae sequentem in modum concepta est:

Omnium bonorum usumfructum posse Legari, nisi excedat dodrantis aestimationem, Celsus Libro trigesimo secundo Digestorum, & Iulianus Libro sexagesimo primo scribit. Et est verum.

Qua methodo in praesenti uti auiimus est.

H. Lex igitur nostra proponit regulam: *Omnium bonorum usumfructum legari posse;* cui regulae exceptio addita est: *nisi excedat Dodrantis aestimationem.* Satis igitur commode ita institutum nostrum persequi licebit, ut dispiciamus, quibus Personis Ius usumfructum hunc constituendi competat, & in quibus rebus ususfructus ipse obtineat. Deinde vero de modo constituendi hunc Usufructum, & de effectibus occasio disserendi existet; nec minus sub finem admonebitur, qua ratione iterum desinat. Sed priusquam id a nobis fiat, necesse erit, ut paulisper in parte Legis nostrae externa occupati Auctoris ejusdem faciamus mentionem, praetereaque verum verborum sensum enucleemus.

De Autore legis nostrae Seruo instituitur.

III. Autor Legis nostrae est Vlpianus, quem Modestinus merito inter Coryphaeos Ictorum refert, & multis laudibus extollit *L. 13. §. 2. L. 4. ff. d. Exc. Tut. L. 2. §. pen. ff. Qui pet. Tut.* Oriundus vero fuit ex colonia Tyriorum in Syria Phoenice *L. 1. ff. de Censibus.* Quamvis vero in summis dignitatibus constitutus fuerit; cum non modo Assessor Prae-

toris exiterit *L. 9. §. 3. ff. Quod met. causa. L. 8. ff. de Manum. vindict.* Sed & Alexandri Severi Tutor, & Consiliarius, & Magister Scriniorum. Lamprid. *in Alex. c. 15. 26. 31. 34.* ita ut Imperator eum quoque Parentem suum, i. e. amicum nominaverit. *L. 4. Cod. Loc. Conduct.* conf. Iul. Capitolin. *in Anton. Philosoph. c. 5.* ubi Casaub. Salm. *ad Trebell. Pollion. 30. Tyrann. c. 12.* in exilium tamen ab Heliogabalo missus fuit. Lamprid. *in Heliogab. c. 16.* Praeterea quoque Ictus noster immortalem sibi gloriam editione plurimorum scriptorum acquisivit, quae in compendio recensita fuere a Corn. van Eck. *in Princip. Iur. Civil. L. 1. T. 2. p. 48.* Lex vero nostra est desumpta ex Libro 18. ad Sabinum, ad quem Ictus noster Libros quinquaginta & unum scripsit. Caeterum alius quoque Sabinus inclaruit, quem Heliogabalus interimendum curavit, licet cum nostro eundem esse existimaverit Lamprid. *in Heliogab. c. 15.* quem erroris hac ex parte commissi insinulavit Casaub. *ad Lamprid. in Alexandr. c. 68.*

IV. Legis nostrae verba plurima ex parte perspicua sunt, quapropter nulla subest causa, ut explanationi eorundem anxie inhaereamus. Quid vero sub voce: *Omnium bonorum*, indigitare velit Ulpianus, primum exponere debemus. Mentionem vero fecit ususfructus omnium bonorum *Nov. 18. c. 3.* hisce verbis: *Siquidem illis omnem reliquerint suarum rerum ususfructum.* Imo Scaevola respondit, ususfructu bonorum in genere legato, omnium bonorum ususfructum ad Legatarium pertinere. *L. 37. ff. de Usu & Usufr. Leg.* Aequipollet autem locutioni *omnium bonorum*, vox: *Univerforum bonorum in L. 34. §. fin. ff. de Usufr. conf. L. 4. Cod. de Iure Dot.* Cum igitur vox *omne* nomen sit collectivum. Tusch. *Lit. O. concl. 117.* exinde patet, ususfructum omnium bonorum mobiles & immobiles res sub se continere *c. l. 34.* nec nomina excludi posse, quod per Calen-

Quid per omnia bona intelligatur.

4 DISSERT. DE VSVFRUCTV OMNIVM

darii usumfructum explicatur in *L. 37. ff. Vsu & Vsufr.* Brunn. ad *L. 3. ff. de Vsufructu ear. rer. quae usu conf.* Menoch. *L. 4. Praef. 142. n. 17.* Sed cum aequè bonis nostris adnumeretur quoque, si quid sit in actionibus, petitionibus, aut perfectionibus *L. 49. ff. d. V. S.* Easdem quoque usufructui universorum bonorum imputandas esse, extra omnem controversiae aleam positum est. *L. fin. ff. de Vsu & Vsufr. Leg.* Neuriquam vero actiones & nomina computari poterunt, si bonorum mobilium & immobilium mentio facta fuerit; Cum debitorum nomina, ut tertia quaedam species bonorum non contineantur sub nomine mobilium & immobilium *L. 15. §. 2. ff. de Re Iudic.* Menoch. *L. 4. Praef. 142. n. 19. 20.* Silentio tamen non est praetereundum, in Saxonia hypothecam sub expressione mobilium & immobilium constitutam nomina quoque comprehendere. *Ord. Proc. Saxon. Tit. 46. §. Nachdem.* Carpzov. *P. 2. C. 23. D. 7.* Sed quid per *bona* intelligatur, adhuc monendum est; enim vero Iure Romano differunt in Dominio esse, & in bonis esse. Sunt enim quaedam in bonis, quae in Dominio non sunt *L. 49. ff. d. V. S.* Quaecunque igitur a nobis bona fide possidentur, ea in dominio nostro non sunt, sed in bonis. Hinc quod in dominio habemus, tueri possumus adversus omnes, adeo, ut nemini mortalium ullum Ius in eis concedamus, id autem, quod in bonis, non adversus omnes simpliciter defendere licet, sed adversus omnes alios, Domino vero excepto, cui res illae debentur. *conf. L. 52. ff. d. Acqu. rer. Dom.* Eichel in *Comment. ad Reg. Iur. c. 9. §. 52.* Diversa tamen bonorum significatio est, cum interdum pro Iure succedendi, veluti haereditate capiuntur. *L. 208. ff. d. V. S.* Interdum vero strictiorem admittendo significationem pro eo accipiuntur, quod in substantia patrimonii sive bonorum cuiusque est *L. 49. ff. d. V. S.* Quae significatio nostrae quoque Legi haud incom-

mo-

mode applicari poterit. Cum vero bona naturaliter intelligantur ea tantummodo, quae profunt & commodum adferunt *L. 13. L. 48. ff. de V. S.* Proinde bona esse existimantur cuiusque, quae subducto aere alieno supersunt *L. 39. §. 1. ff. de V. S. L. 72. ff. de Iur. Dot. L. 2. §. 1. ff. d. Collat. Bonor.* Civiliter tamen bona intelliguntur quoque, quae incommodum adferunt, quae nocent, nempe cum aere alieno *L. 1. Cod. d. Haeredit. Act. vend. L. 30. §. 1. ff. ad Scrum Trebell. t. t. C. d. Bon. vacant.*

V. Ususfructum vero hac ex parte legari posse, asserit *Ulpianus*. Quid sit vero ususfructus, unicuique, qui vel primis labris Iurisprudentiae monumenta degustavit, pater. Supervacaneum igitur laborem susciperemus, si definitionem, aliaque ad ususfructum pertinentia in praesenti coacervare vellemus. Cum vero ususfructus vocabulum interdum significet commodum usionis, fruitionisque Iure proprietatis competens; modo Ius specificum a proprietate separatum; Illum *DD.* vocant causalem, hunc formalem. Ista species autem non esse generis univocas ususfructus, sed terminos aequivocos, late probavit *Strauch. Exerc. 5. ad quinquaginta Decis. c. 1.* Appellatur vero ususfructus etiam simpliciter fructus *L. 14. §. 1. ff. d. usu & habitat.* & usufructuarius etiam simpliciter fructuarius. *L. 2. L. 4. ff. V. usufr. quem Cav.* Quamquam id interdum rebus, in quibus ususfructus constitutus est; tribuatur; ita dicitur servus fructuarius *L. 12. in fin. L. 22. L. 25. pr. §. 1. ff. de V. usufr.* fundus fructuarius *L. 1. L. 5. §. 1. ff. si usufr. pet.* interdum rebus, quae ad ususfructum pertinent, ut stipulatio fructuaria. *L. 4. in fin. ff. d. V. O.* quae scilicet ab usufructuario Domino proprietatis praestanda. In constitutione *Caroli M.* ususfructum precarium nominari, ostendit *Dn. Schilter. ad n. Exerc. 17. §. 4.* Imo sub *Lidbilabii* nomine indigitari solere, *Lege Lotharii Regis* evincitur. *Libr.*

Vocabulum V.
ususfructus ex-
ponitur.

II. *LL. Longob. t. 15. conf. Lindenbrog. Codic. Leg. antiqu. L. 2. t. 18.* Nec minus lege Alemannorum *Dotalitium* quoque dicitur; cum vox *Leibgeding* non de *Dotalitio* mulieris solo, sed de omni usufructu Iuris Germanici usurpetur, & *Leibe* dicti fuerint usufructuarii. *Spec. Sued. c. 48. Schilter c. 1. §. 8.* Licet autem fructus regulariter ipsum corpus designent, v. g. vinum, frumentum, quae ex praediis colliguntur *L. 43. ff. de Evisct.* non raro tamen pro Iure usufructuarii usurpantur. *L. 33. L. 57. §. 1. ff. de Vsufr. L. pen. ff. de Vsufr. adrese.* Evenit quoque saepius, ut sub nomine usufructus plena proprietas intelligatur. *conf. L. ult. ff. de Vsufr. ear. rer. L. 34. §. 3. ff. de Legat. 2. Schilter. ad π. Exerc. 17. §. 1. lit. A. Brunnem. ad Leg. 19. ff. de Vsufr. Sande L. 5. T. 1. D. 2.* Quae significatio in nostra Lege locum non habet; cum totus contextus satis superque nos edoceat, sermonem institui de usufructu omnium bonorum, partim proprio, ratione eorum, quae usu non consumuntur, partim improprio ratione eorum, quae consumuntur. *Brunnem. ad Leg. 1. Cod. d. Vsufr. n. 1.* Differentias vero inter usufructum Romanum & Germanicum, erudite exponit *Schilter. c. 1. §. 19.* ad quem Lectorem in praesenti remittimus.

*Vox: Legati
excititur.*

VI. Legandi igitur Libertas Lege nostra concessa fuit. Legati vero significatio vel generalis est, vel specialis. In genere significat omne, quod quis de re sua in alium post mortem confert; haeredis institutionem, Legata proprie sic dicta, Libertatis dationem, & tutoris constitutionem complectens in *LL. XII. Tabb. uti quisque rei suae Legasset, ita Ius esto. Ulpian. t. 12. §. 13. in fragm. l. 120. ff. d. V. S.* In sensu stricto vero ad solas singulares donationes post mortem ab haerede praestandas refertur *d. l. 120. ff. de V. S.* Quamvis autem Modestino vulgo nota illa Legati definitio placuerit, quod sit donatio testamento relicta *l. 36. ff. Legat. 2. Proprie*
ta-

tamen donatio dici nequit, cum haec non dantis tantum, sed & donarii in acceptando voluntate perficiatur. *l. 55. ff. d. O. & A. vivoque Donatore acceptatio fieri debeat, ante quam nulla adhuc contracta viderur obligatio l. 4. §. 10. ff. d. Donat. conf. Dn. Coccej. de Legat. Rei propr. & alien. c. 1. §. 1.* Plenior igitur & explicatior est Florentini ICTi definitio, quod sit *delibatio quaedam haereditatis; qua testator ex eo, quod univ. versum haereditis foret, alicui quid collatum velit. l. 116. ff. de Legat. 1.* Olim vero quatuor Legatorum gnera vindicationis nimirum, damnationis, sinendi modo, & praeceptionis constituta fuerunt. Quae omnia una cum verborum solennitate, & actionum formulis Iustinianus nova constitutione sustulit, & ultimarum favore voluntatum inductus constituit, ut omnibus Legatis sit una natura, vis & potestas. §. 2. *Inst. d. Legat. l. 1. & 2. Cod. Comm. d. Legat.* Quamvis autem longe quoad formam Legata & fideicommissa a se invicem differant, effectui tamen invicem exaequata fuerunt. §. 3. *Inst. d. Legat. l. 1. & 2. Cod. Comm. d. Legat.* conf. Dn. Mencken. in *Tract. Synoptic. Pandect. T. d. Legat. p. 425.* Licet autem primi nominis ICTi contendant, ante Iustinianum Legata per omnia exaequata fuisse fideicommissis particularibus & vice versa. Govean. *Var. Lect. 29.* Robert. 2. *Sentent. 23. Duaren. 1. Disp. 9.* Iustiniano tamen potius hanc adaequationem factam inter accepta referri debere existimamus. *l. 2. Cod. Comm. d. Legat. §. 3. Inst. d. Legat. §. fin. d. Obligat. quae Quasi ex contr. Boccr. Class. 3. Disp. 8. §. 5.*

VII. E vestigio in Lege nostra huic Legandi Libertati limites posuit ICTus; dum ira loquitur: *Nisi excedat Dodrantis aestimationem.* Quod Vivian. *ad d. l. ita accipit; usum fructum omnium bonorum legari posse, praeterquam in quarta, quae debeat haeredi remanere de bonis.* Conf. Hub. *ad Inst. r. d. Vsufr. §. 6.* Particula enim *nisi*, est limitativa & ex-

Quid Dodrans fuerit, explicatur.

exceptiva. *c. 4. d. R. I. in 6. Flamin. d. Resign. l. 5. q. 6. n. 183.* ita ut, si sequatur praecedentem affirmationem, negationem operetur. Plura de significatione dictionis: *nisi*, videri possunt apud Strauch. *in Lexic. Partic. Iur. sub voce: Nisi.* Vusufructus igitur universorum bonorum Legatus dodrantis aestimationem excedere non debet. Quod si vero ultra dodrantem usufructus constitutus fuerit, Legis Falcid. beneficio detrahere haeres quartam potest. *l. 10. Cod. ad Leg. Falcid. l. 42. ff. de Vulg. & Pupill. subst.* Enimvero cum olim *Lege XII. Tabb.* Legandi facultas latissima, liberrimaque fuerit, ita ut universam etiam haereditatem legatis exhaurire, & absumere testator potuerit, ex usu Reipublicae esse visum est, ut libera illa legandi facultas aliquo modo coarctaretur. *l. 120. ff. d. V. S.* Licet autem lege Furia a C. Furio Tribuno lata, non plus quam *χιλία νομισματα* legare permitteretur. *Vlpian. in fragm. t. 1. §. 1. & praeterea Lege Voconia*, quae a Q. Voconio Tribuno plebis rogata est, cautum fuerit, ne plus Legatarius, quam haeres haberet; Harum Legum tamen neutra sufficiens ad rei consummationem videbatur. Lege igitur Falcidia ex parte magis prospectum fuit, quippe quae intra dodrantem Legandi potestatem coarctavit. *Pr. Inst. de Lege Falcid.* ita ut quadrans integer & illibatus semper maneat. *Harprecht ad pr. Inst. de leg. Falcid.* Cum vero haereditas plerumque dividatur in duodecim uncias, quae assis appellatione continentur *§. 5. Inst. de Haered. Institut.* Dodrans novem uncias constat. *conf. Illustr. Dn. Fuchs. in Paraphr. ad Inst. c. §. Varro l. 4. de Lingu. Latin.*

*Celsi & Iuliani
Iciorum mentio fit.*

VIII. Provocat Vlpianus ad auctoritatem Celsi & Iuliani, quorum vestigiis in decidenda hac quaestione insistere voluit. Sub nomine vero Celsi, & pater, & filius inclaruerunt. In nostra Lege de filio sermo instituitur, qui adolescentis nomine in Libris Iuris a Patre distinguitur. *conf. l. 91. §. 3. ff. d. V. O. l.*

O. l. 3. §. 7. ff. d. Condiçt. Caus. dat. l. 20. ff. d. Legat. 2. Vincent. Gravin. de Ortu & Progressu Iur. Civil. §. 79. Ejus consilio Adrianus usus est inter ICtos ceteros, quos adprobante Senatu sibi adiungere consueverat. Spartian. in *AElian. Adrian.* Scripsit autem Digestor. Libros 39. Institutionum 20. Epistolarum II. Quaestionum 19. Commentariorum 7. Confer. Corn. van Eck *Princ. Iur. t. d. O. I.* Sed non minus animi, quam corporis prole insignis fuit Salvius Iulianus, qui avus fuisse ab Eutropio, proavus a Spartiano traditur Iuliani Imperatoris. Praeterea summam laudem adeptus fuit, cum iussu Adriani Imperatoris ex veteribus, novisque ab se commissis edictis condiderit, atque inconcinnum titulorum ordinem digesserit edictum perpetuum. *l. pen. Cod. de condiçt. Indeb. l. 2. §. 18. Cod. de Vet. Iur. exucl.* Eutrop. *l. 8.* Scripsit quoque Digestorum libros nonaginta, vel potius nonaginta quatuor, ut habet inscriptio *l. 32. ff. de Leg. l. 17. ff. Ex quibus causis Mai. l. 10. §. 1. ff. de Peric. & commod.* Quorum Digestorum Vlpianus in Lege nostra mentionem facit.

IX. Ex hisce igitur satis cognosci poterit, quanam sit intentio Vlpiani. AEquum vero esse, ut Libertas usumfructum universorum bonorum constituendi permittatur, haud difficulter probari poterit. Enimvero nihil est, quod homini magis debetur, quam ut supremacae voluntatis liber sit stylus, & licitum, quod iterum non reddit, arbitrium *l. 1. Cod. de S. S. Eccl.* Ratio igitur civilis, qua usi prudentes ad hoc introducendum, procul dubio a libertate civium dependet, ita, ut libera alienandi facultate gaudeant, sive ex toto, sive ex parte, & quoad solam utendi, fruendive potestatem. Accedit, hac ratione, testatoribus commodiorem occasionem atque medium, suppeditari, libertate testandi minus abutendi, in sum-

Rationes Legis nostrae suppeditantur.

B mam

mam familiae & cognatorum perniciem, si aliis proprietatis, aliis ususfructus separatim relinqui possit. Huc spectat, quod Aristoteles consulit, ut aequaliores sint fortunae. ἐπιλωτέροι αὖ ἄνθρωποι καὶ τῶν δούλων ἢς ἑυποροῖαν ἀναδίσταντο πλείους. *Libr. V. Politic. c. IX.* Quae Libertas olim Germanis non concessa fuit, cum hi nulla testamenta conderent, sed liberis, iisque deficientibus proximis sanguine relinquerent bona sua. Tacitus *de Mor. German. c. 20.* Imo Plato *Libr. XI. de Legibus* improbat veteres Graecorum Legislatores tanquam molles, quod Legem roga-
 τὰ ἑαυτῶν ἀπειθεῖσθαι ἀπλῶς ἀντί τῆς ἐθέλει τοῦ ἀδύνατον. *conf. Schilter. ad τ. Exerc. 38. §. 5.* Sed quae de Solonis, aliorumque Legibus adferuntur a Bodino *l. 5. d. Republ. c. 2.* ea non tollunt libertatem testandi, sed restringunt, dum proximis cognatis relinqui volunt bona, ita ut ad familiarum conservationem respexerint. Coccej. *de Legat. Rei propr. §. alien. c. 2.*

In originem
 Ususfructus om-
 nium bono-
 rum inquiri-
 tur.

X. Liceat autem in originem ususfructus univer-
 sorum bonorum inquirere. Sane ante Augusti tempora incognitus adhuc fuisse videtur; cum, ut supra in §. 1. testi-
 monio Ciceronis comprobatum est, quasi ususfructus non-
 dum introductus fuerit, qui demum sub Imperatoribus na-
 sci coepit, & ut videtur sub Augusto, cum ejus memine-
 rit Nerva & Sabinus *l. 3. l. 5. ff. de Vsfufr. ear. rer.* quorum
 uterque floruit sub Tiberio. Imo dubitatum fuisse, an
 ususfructus omnium bonorum constitui possit nec ne, no-
 stra Lex evincit, cum Ulpianus expresse dixerit, hoc fieri
 posse, simulque auctoritatem Celsi & Iuliani adduxerit.
 Nec infrequens videtur apud Teutonicas Gentes ususfru-
 ctus omnium bonorum, *conf. Dn. Schilter ad τ. Exerc. 17.
 §. 4. 5. seqq.* In iure quoque Longobardico extat Guido-
 nis

nis Ducis Spoletanorum & Imperatoris Papalis constitutio d. A. C. 891. *Volumus practerea, atque sancimus, ut si quis liber homo Legitimae uxori suae dum advixerit, res suas per scriptum ad usumfructum dederit, & plures habuerit Liberos, & unus ex ipsis, vel duo mortui fuerint, & filios & filias reliquerit, aequaliter ipsas res, quas usufructuario modo praedicta uxor habuerit, filii defuncti cum patris usufructum dividant.* Conf. Schilter. c. l. §. 3.

XI. Cum Legis nostrae verba exposuerimus, simulque rationes attulerimus, quae Legis huius aequitatem satis superque commendare possunt; haud abs re fore existimamus, ut personas, quibus Ius universonum bonorum usufructum legandi competat, consideremus. Constitui igitur potest ab omnibus, qui testamentum facere possunt l. 1. l. 2. ff. de Legat. 1. Cum igitur testamenti factionem non habeant filii familias. pr. Inst. quibus non est perm. fac. test. l. 16. l. 19. ff. Qui testam. fac. poss. Servi. l. 1. §. 1. ff. d. Legat. 3. De statu suo errantes vel dubitantes l. 14. ff. qui test. fac. poss. Obsides Romanis dari l. 11. ff. qui test. fac. poss. l. 31. ff. d. Iur. Fisci. Quapropter ipsis quoque Ius universonum bonorum usufructum legandi denegatum est. Licet autem damnati poena capitali testamenti factione non gaudeant l. 8. §. 1. ff. qui test. fac. poss. l. 6. §. 6. ff. d. Ini. Rupt. Irrit. Consuetudo tamen Germaniae plerisque in locis, salvam esse condemnatis civitatem & testamenti factionem voluit. Dn. Mencken in Tract. Synopt. Pand. tit. qui test. fac. poss. quod in Saxonia Electorali comprobatum esse constat ex P. 3. Const. El. 6. Quid impedit igitur, quo minus usufructum quoque universonum bonorum ita legent? Secus tamen est, si reorum bona per sententiam fisco addicta fuerint. d. C. l.

Quibus Personis Ius Usufructum generalem constituendi competat.

et elegant

Quibus Personis usus fructus Universalis relinqui possit.

Toti Collegio quoque hunc usufructum relinquere licet.

Singulis Iudaeis quoque usufructus noster competit.

XII. Legari autem potest usufructus omnium bonorum iis, cum quibus testamenti factio est. §. 24. *Inst. d. Legat.*, ita ut ex alieno testamento vel ipsi capere, vel aliis acquirere possint. Non tantum vero personis veris, sed quoque fictis, ut civitatibus, vicis & collegiis ita legatur. *l. 117. l. 122. ff. d. Legat. 1.* licet incerta corpora videantur, ut Ulpianus inquit *l. 22. §. 4.* Quod si igitur toti collegio, aut universitati eiusmodi Legatum relictum fuerit, id toti Collegio acquiritur, nec inter collegas distribui debet *l. 7. §. 1. ff. Quod cuiusque Univers. nom. l. 2. ff. de Rebus Dubiis.* Richter. *Parte I. Decis. 37. n. 28. seqq.* Neutiquam tamen illicita Collegia ad usufructum universorum bonorum legatum admitti debent *l. 8. Cod. d. Haeredit. Instit. l. 1. Cod. de Iudaeis* Dn. Mencken. *Tr. Synopt. Pandect. t. de Legat. p. 420.* Interim singulis Iudaeis a Christiano ita legari posse, extra dubium positum est. *l. 8. Cod. de Iudaeis.* Carpzov. *P. 3. C. 13. D. 36.* Iudaei tamen usurarii hoc iure non gaudent, cum omni privilegio isti indigni censeantur in *Reform. Polit. de Ao. 1530. sub Rubr. Von Juden / und ihrem Wucher:* ubi ita: Nachdem an etlichen Orten im Reich Teutscher Nation / Juden / die wuchern / und nicht alleine auff hohe Verschreibungen / Bürgen / und eigenen Unterpand; sondern auch auff eigene Güter leihen / durch solchen Wucher sie das gemeine / arme / nothdürfftige / undvorsichtige Volk / mehr denn iemand genug rechnen kan / beschwehren / jämmerlich und hoch verderben; sehen / ordnen / und wollen wir / daß die Juden / so wuchern / von niemand im heil. Reich gehalten / oder gehandhabt werden. Daß auch dieselbige in Reich weder Fried noch Geleit haben sollen. Cum igitur Iudaei a Statibus Imperii recepti fuerint, ut privilegium commorandi intra fines territorii impetraverint, qui inde dicuntur:

tur: Schutz-Juden / vergleietere Juden / ita ut accipiant: den
Schutz-Brieff / & quotannis solvant eo nomine: gewis-
se Schutz-Gelder / iis omnino usumfructum in omnibus
bonis constituere licet. Quia vero *in Ord. Elect. Palatina*
Libr. 18. §. 5. cavetur: Dafs zu ewigen Zeiten kein Jude in
der Pfalz weder auffgenommen / und mit häuslicher Woh-
nung darinnen nieder zu thun / noch auch mit denen Untere-
thanen in einige wege zu handthieren solle vergönnet wer-
den. In dicto territorio intuitu Iudaeorum Sanctio le-
gis nostrae applicari nequit. Equidem haeretici inte-
stabilis facti minime frui possent omnium bonorum le-
gato. *l. 5. Cod. d. Haeret. & Manich Nov. 144. c. 1.* iis tamen
in Imperio nostro toleratae religiones haud accensentur.

I. P. O. & M. a. 5. §. 35.

XIII. Si Principi litis causa omnium bonorum
ususfructus legatus sit, tale legatum non admittitur, cum
l. 22. §. 2. ff. d. Iure Fisci in genere ostendat, Imperatorem
asperrari eius liberalitatem, qui litis causa bonorum par-
tem se Principi relicturum profiteatur. Qua de causa
ne inter vivos quidem facta donatio, si lites respiciat,
subsistit, cum D. Pius eam reiecerit, & Gordianus Impe-
rator temporis sui disciplinam non pati fateatur, ut li-
tium donationes admittantur in fiscum collatae. *l. 2. Cod.*
Ne Fisco, vel Respubl. conf. Dn. Mencken. Dissert. de Princi-
p. Litis causa hered. institut. §. 21. Certum tamen esse de-
bet, Principi litis causa eiusmodi legatum constitutum,
fuisse, & legantem consilium non plane vanum defrau-
dationis habuisse. Vtriusque vero probatio ei iniungen-
da est, qui in ista assertionem se fundat *l. v. l. 5. l. 8. l. 12. ff. d.*
Probat. l. 4. Cod. de Edend. Donell. l. 25. c. 2. lit. b. Mo-
dos probandi prolixius deduxit iam ante laudatus Dn.
Mencken. *c. Disp. §. 17.* Si autem Princeps cum Aristip-

*Toleratis Reli-
gionibus addi-
cti ususfru-
ctum hunc per-
cipiunt.*

*Principi litis
causa ususfru-
ctus generalis
legari nequit.*

po aut Lucio in usufructu omnium bonorum coniu-
ctus fuerit, ita ut litis causa hoc factum sit, ea, quae Prin-
cipi cedere debebat portio, non ad succedentes ab Inte-
stato, sed ad coniunctos usufructuarios pertinebit. *Tot. T. ff.
de Vsufr. adref. Eckold. ad π. c. 2. §. 1.* Ea vero hodie quo-
que in Imperio ad Status & Principes applicari posse, sta-
tuendum est. *Ord. Cam. P. 1. t. 57. Recept. Imp. d. Ao. 1654.
§. 105. conf. Dn. Mencken. c. Disp. 0. 11.*

*Qua ratione
pia causa us-
ufructuum
honorum o-
mnium perci-
pere possit.*

XIV. Equidem usufructus omnium bonorum san-
cti Francisci fratribus Capucinis & Minoribus de Obser-
vantia, quatenus immobilia possidere prohibentur, le-
gari non potest. Concil. Trident. *Sess. 25. de Regular. c. 3.*
Interim tamen pia causa hac ex parte excludi nequit. Li-
cet autem ambiguum esse videatur, unde possit cogno-
sci, quidnam ad piam causam referendum sit, nec ne,
cum DD. hic in excessu saepius peccent. Ita enim qui-
dam meretrices huc referunt Baldus. *in l. 23. Cod. de nupt.*
Generaliter tamen dici potest, Legatum ad piam causam
posse referri, ad quod constituendum quis singulari in-
ductus fuerit pietate. conf. Cardin. de Luca *Theatr. Verit.
& Inutilitiae, Tr. de Testam. Disc. 19. n. 8.* Caeterum ad pias
causas vulgo referunt fraternitates Panormitanus *l. 1. Conf.
31. ut & viduas, aliasque miserabiles personas. Besold. P.
6. Conf. 263. n. 2. pia corpora recensita in l. 19. Cod. de SS.
Eccl.* Nec minus huc refertur, quod Legatum fuit pro
anima. *Nov. 115. c. 3. §. 13.* *Ulm. G. Dites wissen/ ut loquitur
Illustr. Dn. Stryck. d. Caut. Test. c. 12. §. 14.* Non autem
piae causae legatum esse censetur, quod singulis Paro-
chis, vel Pastori, & ministro Ecclesiae relictum fuit Conf.
O. P. S. T. 45. §. Weil wir aber. Carpozov. P. 3. C. 4. D. 34. Imo
si iis, qui altari inserviunt: *Denen Altar-Leuten/ usufruc-
tus omnium bonorum relictus fuerit; Curatores Eccle-
siae,*

fae, vel aerarii Ecclesiastici de eo nihil participant. Carp-zov. *Iurisprud. Conf. l. 2. d. 323.* Bardil. *Conclus. Theor. Praët. Ex. §. Concl. 11.* Quid vero sentiendum est, si Sancto cuidam legatus fuerit ususfructus omnium bonorum? Tunc secundum *l. 26. Cod. de SS. Eccl.* attendendum est; an in illo loco, aut in metropoli templum aliquod adsit, huic sancto consecratum, & tunc ei debetur. Quod si vero tale templum eiusdem nominis non existat, tunc ad ecclesiam parochialem istiusmodi legatum pertineat. Qua ratione *cit. Legis 26.* dispositio ad Ecclesias inter Pro-
 testantes applicari possit, egregie deduxit Dn. Stryck. *in Not. ad Ius Eccl. Brunnem. l. 2. c. 12. §. 14.* Praeterea plu-
 rima notatu digna collecta legere licet apud Dn. Griesen *in Dissert. d. Christo Servatore haerede Instituto*, in casu, si vel Christo Salvatori, vel etiam Ecclesiae Legatum reli-
 ctum fuerit, cuius vero scrinia expilare animus non
 est.

XV. Non immerito iam disquiritur, an coniuges secundo, ulteriusve nubentes, ususfructum omnium bo-
 norum novis coniugibus legato addicere possint? Sed cum non sit permissum, in novum coniugem plus trans-
 ferre vel testamento, vel alio quovis titulo, quam uni ex liberis prioris matrimonii relinquatur, ita, ut, si plus re-
 lictum fuerit, id liberis matrimonii prioris haud praeiu-
 dicet. *l. 6. Cod. de Secund. Nupt.* quapropter nec in praeiu-
 dicitium sobolis ex priore matrimonio susceptae ususfru-
 ctus omnium bonorum constitui potest. Contra igitur si factum fuerit, & aliquid amplius, quam liceat, legatum sit, id tanquam non scriptum, neque legatum habetur. *d. l. 6.* & inter personas liberorum prioris matrimonii aequaliter distribuitur. *Nov. 2. c. 1. Nov. 22. c. 21. 27. 29. Auth. Lucrum Cod. de Secund. Nupt.* Vt hoc in simili deduxit

An usufructus generalis novae coniugi relinqui potest?

Lau-

Lauterbach. *d. Donation. propter nupt. §. 43 Vol. 1. Disp. Tubing.*
 Hanc constitutionem vero in foro Saxonico contraria
 consuetudine abrogatam esse, testatur Carpzov. *P. 2. C. 43.*
D. 17. Nec causa subest, cur eius observantiam in du-
 bium vocare velis, cum extra controversiam sit positum,
 maritum in bonis omnibus mobilibus uxori succedere
Q. R. l. 3. a. 76. P. 3. C. El. 22. In aliis tamen locis, in qui-
 bus similis consuetudo probari nequit, tutissimum erit,
 iuris communis sequi autoritatem. Quod si vero ex
 primo matrimonio nulli liberi procreati fuerint, nullum
 obstaculum interpositum est, quo minus secundo coniugi
 univerforum bonorum usumfructum relinquere liceat.
a. l. 1. Cod. d. SS. Eccl. ita ut tale legatum in matrimonio
 legibus prohibito coniugi relictum debeatur. *l. 63. ff. de*
Ritu Nupt. l. fin. ff. d. Legat. 1. conf. Bardili Ex. Theor. Pract.
Exerc. 8. Conc. 7. Imo si legatum ususfructus omnium
 bonorum in genere uxori relictum fuerit, id secundae
 quoque uxori, quam testator priori mortua post testa-
 mentum conditum duxit, deberi aumat Mantic. *de*
Coniccl. Vltim. Volunt. l. 8 t. 15.

*Non Liberi ex
 damnato coitu
 nati ad hunc
 usumfructum
 Admittuntur.*

XVI. Quod ad parentes attinet, qui incesti, veti-
 tique coniugii sese nuptiis funestaverunt; hi neque uxorem,
 neque filios ex ea editos habere creduntur, ita ut
 morituri praedictis nihil plane relinquere possint, uti Ar-
 cadius & Honorius disposuit in *l. 6. Cod. de Incest. & Inut.*
Nupt. Quapropter exclusi quoque esse debent a iure
 iis usumfructum omnium bonorum suorum relinquendi;
 enimvero ex damnato coitu nati ab omni Successione
 removeantur. *Auth. Ex Complexu Cod. de Incest. Nupt.*
 ita ut ne quidem a parentibus alimenta petere possint.
Nov. 89. c. 15. Carpzov. P. 3. C. 14. d. 11. n. 7. Stryck. de Cau-
tel. Testam. c. 17. m. 1. §. 10. Quia vero nati ex sponso &
 spon-

sponsa, Liberi post sponsalia publica, & legitimi, & successione capaces existunt. conf. *Dec. El. 49. §. Hierinnen.* Illos usumfructum omnium bonorum percipere posse, extra dubium positum est. Suscepti autem post clandestina Sponsalia eodem Iure frui nequaquam possunt. *d. D. El. §. f.* Miles vero meretrici, in quam cadit turpis suspicio, ita legare prohibetur. *l. 41. §. 1. ff. de Test. Milit. l. 14. ff. d. His quae ut indign.* Schütz. *Collug. Iur. Lauterb. t. de Test. Milit.* Nec hac ex parte medela affertur, licet a milite clausula: *Omni meliori modo, adiecta fuerit.* conf. *Dn. Stryck. in Caut. Test. c. 9. §. 2.*

Quod secus est in Liberis post publica sponsalia natis.

Miles autem ita Legare nequit.

XVII. Haecenus de Personis solliciti fuimus, quae usumfructum omnium bonorum constituunt, & quibus legari possit, de eo nunc videamus, quidnam sub usufructu universorum bonorum comprehendatur. Certum vero est, usufructu omnium bonorum relicto, tantum intelligi illa bona, de quibus testatori disponere licuit. *Dn. Stryck. de Caut. Test. c. 20. §. 23.* *Struv. Iurispr. Forens. l. 2. t. 24. §. 7.* Generalis igitur Ususfructus etiam ad ea pertinet, quorum substantia salva manere nequit, cuiusmodi omnes sunt res, quae usu consumuntur, ut vinum, oleum, frumentum, item lana, odores, aromata, *l. 11. ff. de Vusufr. ear. rer. Dn. Mencken. Tr. Syn. Pand. c. 2. Brunni. ad l. 1. ff. de Vusufr. ear. rer. quae usu conf. Huber. ad Inst. de Vusufr. §. 7.* Hinc vestes quoque sub eo intelliguntur. *l. 15. §. 4. ff. de Vusufr. l. 9. §. pen. Vusufr. quem cav.* Nomina quoque eo referri debere, iam supra §. 4. ostensum fuit. Imo pecunia quoque huc pertinet. *§. 2. Inst. de Vusufr. l. 37. in f. ff. de Vusufr. Leg. Menoch. l. 4. Praef. 142. n. 14. & Praef. 138.* conf. *Brunnem. ad l. 29. ff. de Vusufr. n. 3.* Quapropter citra omne dubium in hunc censum quoque veniunt numismata aurea, & argentea, quae appellantur *Medales*

Quid sub Vusufructu omnium bonorum continentur.

18 DISSERT. DE VSVFRUCTV OMNIVM

l. 28. ff. de Vsufr. Mornac. *ad l. 35. ff. de Vsufr.* Hinc ea hodie quoque peritiores, atque antiquitatum amantiores fervant, & in armariis magna impensa colligunt. Budaeus *l. 5. de Affe.* Quid impedit quoque, quominus statuas & imagines usufructuario omnium bonorum cedere debere affirmemus? utilitas enim exinde omnino redundare potest. *l. 41. ff. de Vsufr.* ibique Brunneman. Nec minus lapidicinae, & merallifodinae, si in bonis legantisprehendantur, sub usufructu omnium bonorum comprehenduntur, sunt enim haec in fructu, si renascantur. *l. 7. §. 13. ff. Solut. Matrim.* Brunnem. *ad l. 9. ff. de Vsufr.* Zoef. *ad ff. d. t. n. 13.* Qua de causa thesaurus inventus in fundo fructuario, non est fructuarii omnium bonorum, quia non renascitur *l. 7. §. 12. ff. solut. matrim.*

Quomodo
Vsufructus
generalis se
exerat in re-
bus incorpora-
tibus.

XIIX. Praeterea usufructus omnium bonorum porrigitur quoque ad res incorporales. Enimvero Iurium dari usum, atque fructum, ostendit exemplum Iurisdictionis, cuius fructus in mulctis & poenis consistunt; quominus igitur usufructus hac ex parte se exerat, nihil prohibet. Vinn. *ad §. 2. Inst. de Vsufr.* Cum vero servitutum realium, ut viae, itineris, nullus sit usufructus *l. 1. ff. de Vsu & Vsufr.* hinc, nec eae in usumfructum omnium bonorum referri poterunt. Servitus enim servitutis esse non potest. *l. 1. l. 33. in f. ff. de Serv. Praed. Rust. Roman.* *Dissert. de Vsufr. c. 4. §. 1.* Sed cum assertum fuerit, iura ab omnium bonorum usufructu haud excludi; haud incommode igitur usufructus noster se extendit quoque ad ius investiendi, cum in fructu etiam laudemia esse dicantur. Iul. Clar. *Sentent. Recept. l. 4. §. Emphyteosis, qu. 23.* Hennelius *de Dolatitio c. 8. §. 8.* Menoch. *l. 4. Praef. 142. n. 22.* Quod in usufructu Iuris Germanici obrinere testatur Glossa Latina LandR. *l. 3. a. 76.* LehN. *c. 26. conf. Dn.*

Dn. Schilter. *Ex. 17. ad π. §. 42.* Aliud vero obrinet in re, quae in commissum cadit, quae proprietario cedit, Ius enim commissionis non esse censetur in fructu. conf. Zoef. *ad ff. de Vusufr. n. 29.*

XIX. An vero sub usufructu generali bona quoque futura comprehendantur, haud incommode disquiri potest. Distinguendum est inter certarum rerum, & omnium bonorum usumfructum. In priori casu, si ita legatum fuerit: Vestium mearum, auri argentique mei, vel librorum meorum usumfructum lego, non videntur eorum generum species futurae comprehendi *l. 7. ff. de Aur. & Arg. Leg.* E diverso in Vusufructu omnium bonorum sub distinctione respondet Huberus: *utrum post mortem, ait, constituentis, an eo vivo sit exercendus; Priori casu non videtur esse dubium, quin sub omnibus bonis intellecta sint, quae tempore mortis erant futura. Si vero usufructuarius statim a constitutione usufructus bona possidere, fructusque percipere debuerit, nulla causa est, ea, quae deinceps acquirenda forent, comprehendendi. In Praelect. ad r. t. d. Vusufr. §. 6.* Non necesse igitur est, ut testator futura bona simul exprimat. Quemadmodum enim hypotheca bonorum generalis vi propria complecti solet bona futura. *l. f. Cod. Quae res Pign.* Dn. Stryck. *in Caut. Contr. S. 2. c. 4. §. 15.* ita quoque supervacuum esse existimamus, ut Legato generalis usufructus relicto in specie futurorum bonorum mentio fiat. Qua occasione non est silentio praetereundum, futuram tertii haereditatem huc non pertinere, nisi tertius ille hac ex parte consensum suum interposuerit. *a. l. f. Cod. d. Pact. Fachin. Controv. l. s. c. 48.* & in ea voluntate usque ad extremum vitae spiritum perseveraverit. *d. l. f.* Quod in simili casu egregie deductum fuit a Lauterbach. *in Diff. d. Donat. propt. Nupt. §. 39.*

An usufructus nosset res futuras comprehendat.

Huc non refe-
runtur res ex-
tra commer-
cium constitu-
tae.

XX. Res autem extra commercium constitutae ne-
tquam in hunc censum veniunt §. 4. *Inst. d. Legat. l. 39. §.*
10. ff. de Legat. 1. Eius generis sunt (1) Res Sacrae, quae
per eiusmodi Legatum minime alienari possunt. *a. §. 8.*
Inst. d. R. D. Sive sciverit testator rem fuisse sacram,
sive ignoraverit. Qua occasione curiosius inquiri pot-
est; an Princeps Romano-Catholicus res solenni ritu sa-
cras factas, e. g. reliquias Sanctorum, vel alia Dona sacra
sibi a Pontifice missa per Legatum usufructus generalis
in Usufructuarium transferre possit? Ex ipsa vero Roma-
nensium hypothese nequam id procedere posse statu-
endum est, cum pro rebus sacris ad cultum Divinum de-
stinatis haberi debeant. *c. 2. X. de Reliqv. Vener. Sanct.* Ni-
hilominus venditionem ipsam reliquiarum, adeoque om-
nem earum alienationem approbare videntur, hac ri-
dícula distinctione nixi, quod nimirum non ipsa res spi-
ritualis vendatur, sed eius antiquitas. conf. Huttardus *de*
vero Martyrio Resol. 43. Cui superstitionis interpretati-
oni textus ipse allegatus adversatur, ut adeo Romanenses
sibimetipsis parum constare videantur. Sed cum inter
Evangelicos rei sacrae alienatio praeter necessitatis &
pietatis casum ita prohibita fuerit, ut nec aestimatio eius
debeat §. 4. *Inst. d. Legat. l. 39. §. 8. seqq. d. Leg. 1.* Illu-
stris Dn. Coccei. *Diff. de Legat. rei propr. & alien. c. 2. §. 2.*
nec ea usufructui omnium bonorum imputari poterit.
Quicquid tamen sit, Ius Patronatus ad usufructuarium
nostrum spectare debere existimamus, quia hoc praedio
moribus nostris cohaerere solet. *c. 7. X. de Iur. Patron.*
Quod si ergo quis fundum cum omnibus Iuribus, fructi-
bus & commoditatibus in usufructum concedat, Ius
quoque Patronatus concessum praesumitur, nisi probetur
exemptio *d. c. 7. ibi: Non excepto Iure Patronatus.* Finckelth.
d. Iur.

d. Iur. Patron. c. 5. num. 11. Schultz. de Legat. Rei inactim.
 §. 5. Diff. Berlich. P. 2. D. 166. Nec minus (2) huc per-
 tinent res religiosae *l. 2. ff. d. Mort. infer. & §. 9. Inst. d. R.*
 D. Quo nomine, & prope eodem Iure locum sepul-
 chri insigniri & gaudere, patet *ex l. 2. ff. de Relig. &*
sumt. Fun. Licet autem res religiosa quoad dominium
 legari non possit, cum extra hominum commercium
 sit, quod ad usum tamen attinet, hoc non prohibitum es-
 se censetur; hinc Ius sepeliendi quoque legari, alteri-
 que concedi potest. *l. 14. Cod. de Legat. Balsamon in No-*
mocan. Photii t. 2. c. 2. p. 49. Quae cum ita sint, plane
 nihil obstat, quo minus certa ratione usufructuarius om-
 nium bonorum exinde emolumentum percipere possit
 Conf. Dn. Mencken. *Tract. Synopt. Inst. t. d. Inutū. Stipul.*
 Quod vero ad hostile sepulchrum attinet, illud
 quocunque modo licite alienari posse videtur, cum Iure
 Civili religiosum non sit. *l. 4. ff. de Sepulchr. Viol. l. 36. ff.*
de Relig. Sed in quo sensu hostium etiam sepulchra re-
 ligiosa sint, & commerciis hominum exempta, eleganter
 deduxit Grotius *l. 2. c. 19. §. 3.* Cum vero (3) Respubli-
 cae plane extra commercium sint, nec usufructus in iis
 locum obtinere poterit. Quid igitur statuendum est, si
 Princeps Regni sui usufructum alicui legare velit? Di-
 stinguendum autem est inter Regna Patrimonialia, &
 non Patrimonialia, Grot. *d. I. B. & P. l. 2. c. 4. §. 10. & l.*
2. c. 7. §. 21. confer. Pufendorff. d. Iure Nat. & Gent. l. 7.
c. 7. §. 15. & l. 8. c. 5. §. 9. ita ut in posterioris generis regno
 ultima voluntate usufructus neutiquam legari possit;
 Priori vero in casu regna patrimonialia ut inter vivos a-
 lienari, ita & legari posse, cum Grotio asserere licebit.
 Neutiquam vero bona Domanialia dictum obtinent effe-

ctum; cum nec per actum inter vivos, nec inter mortuos ea alienare liceat, quamvis Iuramento Principis alienatio confirmata fuerit. *c. 33. X. de Iureiur.* Nec Statutum & Ordinum consensus omne impedimentum ex medio tollet, successoribus enim Ius revocandi istiusmodi bona competit, quibus ex prima regni delatione hoc Ius acquisitum fuit. *c. 39. c. 12. q. 2. c. 6. caus. 10. qu. 2. c. 4. X. de Reb. Eccl. alien. vel non.* Ioannes *d. Prohib. Rer. alien. c. 63. §. 4.* Cum igitur eiusmodi bona sacrum constituere censeantur Patrimonium, quod a re privata Principum separari solet. *l. 1. Cod. d. Indict. l. ult. Cod. d. Vectig. & Commiss.* lubrico fundamento superstructa est sententia Gonzalez. *in Comment. ad cit. cap. 33. X. de Iureiur.* cum alienationes Domaniorum Ecclesiae factas subsistere posse pronunciet. Cum vero regalia quoque in tertium transferri, alienari, vel oppignorari non possint, nisi Principis consensus, vel eorum, quorum interest, accedat, aut publica causa id exigat. *Grot. d. Iur. B. & P. l. 1. c. 4. §. 10. Dn. Swendend. d. Acquis. Regal. c. 3. §. 7.* hinc quoque ususfructus in iis constitui nequit, cum evidens sit, absque Principis concessione regalia in privatorum Patrimonio esse non posse. Interim tempore immemoriali praescribere eadem licet *l. 4. l. 6. Cod. de Praescript. 30. ann. c. 26. X. de V. S. Sixtin. d. Regal. l. 1. c. 5. n. 144. Gail. l. 1. obs. 29. n. 25. conf. Dn. Ockel d. Praescript. temp. immemor. §. 32. Dissent. Arnif. Tr. d. Iur. Mai. l. 2. c. 2. n. 2. Rosenthal. d. Feud. c. 5. Concl. 56. Schlösser d. Praescript. Regal. ad Iur. subd. non pert. c. 3. t. 9.*

An res litigiosae in hunc censum veniant?

XXI. Equidem non est inficias eundum, certa ratione quoque res Litigiosas commercio libero exemptas esse,

esse, cum alienatio earum a litigantibus sub poena nullitatis fieri prohibeatur. *l. 2. Cod. de Litigios.* nihilominus tamen, si res litigiosa fuerit legata, illud Legatario praestabitur ab haerede, quod per sententiam obtinuit. *Nov. 112. c. Dn. Stryck. d. Cant. Test. c. 20. §. 17.* Quae cum ita sint, nullum dubium est, quin in usufructu generali dubius eventus rei litigiosae praestari debeat usufructuario; quem in finem cautionem Legatario haeres praestare debet. *l. 14. 15. 16. Vt legat. seu fideic. caus. car.* Cum vero olim privatis commercium purpurae proposita capitis poena & amissione bonorum interdictum fuerit. *l. 1. Cod. Quae res ven. non poss.* Brunnem. *ad c. l. exinde decidendum venit*, quod ne quidem sub usufructu omnium bonorum contineatur. Quod hodie secus est, cum hoc commercium non aequae ac olim restringi experientia nos satis edoceat. Brunnem. *c. l. Christin. V. 3. D. 64. n. 21. Cuiac. l. 12. obs. c. 24.*

Olim Purpura non fuit in commercio.

XXII. Iam igitur sub incudem quoque Disputationis revocari potest; utrum usufructus universorum bonorum ad feudum quoque spectet? Equidem *1. F. 8. feudum extendit* generaliter deciditur: *Nullam ordinationem Defuncti in feudo valere.* Ita, ut ne Vasallus quidem ad pias causas, seu ut loquimur, pro anima de feudo suo testari possit. Nicol. Reufner. *l. 3. Const. 65. n. 21. Niellius Disp. Feud. 6. b. 4.* Quae prohibitio observanda quoque venit, si Vasallus saltem de Usufructu, seu utilitate feudi testamentum condere velit. Quamvis enim ipse Vasallus Dominus feudi utilis sit, ita ut superstes feudi usufructum alteri constituere possit. Rosenthal. *d. Feud. c. 9. n. 1. concl. 10. n. 5.* Hoc tamen ius morte concedentis Vasalli expirat, & hinc nec per testamentum transferri valet. Mantz. *d.*

Qua ratione Usufructus generatis se ad feudum extendit.

Testam.

Testam. Valid. & Invalid tit. 13. qu. 5. n. 5. seqq. Quem admodum vero expressa de Feudis dispositio non valet, ita non est existimandum, Vasallum sub legato omnium bonorum usufructu etiam feudum subintelligere voluisse. Feuda enim sub generali Dispositione non veniunt, 2. *Feud. 26. §. in generali.* conf. Garf. Mastrill. *l. 1. Dec. 86. n. 1.* Bartol. Bertazoll. *l. 2. Conf. 36. 8. n. 8.* Cum igitur feudum non comprehendatur sub nomine haereditatis vel bonorum. Ludovicus de Casanate *Conf. 57. n. 12.* exinde sequitur, feudum nec in generali usufructu venire. Bursat. *Conf. 295. n. 29.* nisi forsitan feudi expresse quoque mentio facta fuerit. Bursat. *d. l.* quo in casu distinguere licet inter filium, & feudi Successorem. Ille cum feudum acquirere non possit, allodio repudiato 2. *Feud. 45. 51. §. filius.* Carpzov. *P. 3. C. 14. d. 1.* hinc feudi quoque usumfructum usufructuario generali denegare nequit. conf. Dn. Horn. *Jurispr. Feud. c. 14. §. 7. ubi praei.* Aliter vero res se habet cum agnato Successore, vel simultanee investito, quibus Ius succedendi in feudo sine onere competit, quapropter quoque usufructus generalis ipsis in feudis nullum praeiudicium infert, quippe quos testator ratione feudi gravare nequit. Dn. Stryck. *d. Caut. Testam. c. 6. m. 1. §. 8.* Cum suo Iure ex investitura Successores existant. Bachov. *in Treutler. vol. 1. conf. 20. n. 3.* Schrader. *d. Feud. P. 7. c. 2. n. 9.*

*Quomodo in
fideicommissis
usufructus
generalis locum
habeat.*

XXIII. Res fideicommissio simpliciter subiectae alienari prohibentur. *l. 3. §. 2. Cod. Comm. d. legat. Nov. 39. in Prooem.* Quod si enim testator haerodem vel Legatarium fideicommissio oneret; Lex ex verosimili mente testatoris inducit factam prohibitionem alienationis rerum fideicommissio subiectarum. *Satis enim absurdum est,*

est, inquit Imperator, rem, quam in suis bonis pure non possidet, eam ad alios posse transferre, vel hypothecae pignorisve nomine obligare, vel manumittere, & alienam spem decipere. d. l. 3. §. 2. conf. Dn. Stryck. d. Caut. Test. c. 21. n. 2. §. 1. Ex hisce facile constare videtur; bona fideicommissaria non contineri sub usufructu generali. Res tamen sub distinctione expedienda est, ita ut bona fideicommissaria, quae tertio restituenda sunt, sub usufructu generali haud comprehendantur. Secus vero est, si quaestio instituat de iis rebus, quas testator ex veteri fideicommissio haeredi a se instituto restituere debebat, cum nullum dubium sit, quin si testator bona fideicommissio subiecta haeredique restituenda diserte sub usufructu generali comprehendat, haeres ad parendum teneatur. Huber. ad n. de Usu & Usufructu §. 1. conf. Menoch. l. 4. Praef. 142. n. 10. seqq.

XXIV. Ex quibus deductis facile patere potest, quid hac ex parte de Maioratu, Gerada & Heergewetta decidendum sit. Cum enim Ius quaesitum nemini auferri debeat. l. 5. Cod. d. Emanc. Liber. hinc in praeiudicium tertii in hisce casibus usufructus universorum bonorum redundare nequit. Antequam vero ulterius progrediamur, adhuc disquirere licebit, an usufructus omnium bonorum ad rem communem quoque extendi possit? Quod ita affirmandum est, ut tantum Iuris relictum esse censeatur, quantum ipse testator habuit. l. 5. §. 2. & l. 71. §. fin. ff. de Legat. 1. l. 30. §. 4. ff. de Legat. 3. Quo intuitu Ususfructus quoque ita restringi debet, ne tertio hac ratione damnum inferatur. Cum vero post Legatum relictum testator rem Legatam quaesiverit in solidum, eadem quoque solidam Legatario debetur. a. l. 8. ff. de legat. 1.

XXV. Satis igitur perspectum, in quibus rebus usufructus omnium bonorum obtineat nec ne. Animus

Idem decidendum est de Gerada & Heergewetta.

Quo intuitu usufructus Generalis bona communia afficiat.

Modus legendi Ususfructum omnium bonorum.

D au-

nerum propo-
nitur.

autem non est, prolixius versari in explicatione Solennitatum, quae in legato ususfructus generalis observari debent, cum haec ad intimam indelem vel testamentorum, vel codicillorum pertineant, adeoque hic pertractare supervacuum sit. Licet autem iam supra monitum fuerit, in legatis diversitatem verborum sublatam esse, ita ut fideicommissis particularibus aequiparentur. §. 3. *Inst. de legat. l. 21. Cod. eod.* Providus tamen esse debet testator in concipiendo legato Ususfructus generalis, seu voluntate exprimenda. Nutu tamen eiusmodi Ususfructum quoque legari posse, non est dubitandum propter *l. 21. pr. ff. de legat. 3.* Qui nutus a testatore faciendus necessario rogationem alterius praesupponit, ita ut illa idonea esse debeat. Dion, Gothofr. *ad cit. l. 21. lit. 9.* Debet enim omnino constare de animo legandi. Christin. *Vol. 1. D. 318. n. 16.* Verba igitur enunciativa in praeteritum non inducere legatum, recte colligitur *ex l. 72. §. fin. ff. de Condit. & Demonstr.* Marc. Anton. Natta *in repetit. ad l. 21. §. 1. Cod. de Testam. n. 205.* Quod si igitur ita legatum sit: In universis bonis, in quibus Titium haeredem institui, lego Aristippo ususfructum. Sane si Titius nuspian haeres institutus fuerit, legatum quoque haud inducitur, qui enim praesupponit, non disponit, cum verba praesuppositiva non inducant dispositionem. Clem. *in d. Praebend. Card. de Luca in Theatr. Verit. & Inst. tr. 3. de legatis. Disc. 46. n. 9. 10.* Praeterea cum non omnia verba, quibus mentio fit utendi fruendi, nudum Ius ususfructus transferant. Dn. Thomaf. *in Annot. ad Strauch. Dissertat. VII. §. 33. voce accurate,* necesse est, ut verba testatoris accurate expendantur. Quod si igitur testator primo haeredem ex aere instituat, dein ususfructum omnium bonorum alteri legat, haeres in ususfructum non concurrat, nisi additum sit,

fit: Cum pleno eum dominio institui. §. 1. *Inst. de Vusufr.*
 Huber. *ad Inst. d. tit. §. 2.* Imo usufructu omnium bono-
 rum tibi, fundo vero alteri legato, hoc in casu fructuarius
 generalis concurrat etiam in fundi usufructum, aliter
 quam si usufructus fundi alteri legatus fuisset. Grassus *Re-*
cept. sentent. §. legatum. qu. 25. n. 3. Manric. *l. 9. d. Coni. Vl-*
tim. Volunt. t. 6. n. 17. seqq. conf. Carpz. *P. 3. C. 13. d. 7.* ubi se-
 quens praeiudic. **Obwohl euer Ehe-Mann in seinem letz-**
ten Willen euch den Vsumfructum aller seiner Güter auff
euer Leben beschieden/dieweil er aber dennoch in selbigem Te-
stament seinen Vetter Eliä Vöttigern / seinen Garten vor
den Galtz-Ehore gelegen gleichfalls legiret/te. So habet
ihr euch der Frucht-Nießung berührten Gartens alleine nicht
anzunassen / sondern es stehet solche Frucht = Nießung euch
und Eliä Vöttigern zugleich zu. Ex quibus fatis clare pa-
tet, usufructum utriusque communem esse debere. l. 19.
ff. d. Vusufr. legat. Huber. d. l. Ant. Fab. in Cod. l. 6. t. 17. d. 3.
 2. 5.

XXVI. Sed quid sentiendum est, si testator potestatem ^{Quid statuend-}
 alienandi & diminuendi adiecerit; an usufructus, an pro- ^{dum sit, si fa-}
 prietas relicta censetur? Quo in casu omnino proprietatem ^{cultas alie-}
 plenam legatam fuisse statuendum est. Fachin. *l. 5. Controv.* ^{nandi adempta}
 45. Dn. Thomas. *ad Huber. 7. t. de Vusufr. §. 8. Schol. Carpzov.* ^{fuerit.}
P. 3. c. 13. d. 13. Quia absoluta alienandi facultas competit
 tantummodo proprietario, & est contra naturam usufructu-
 ctus, qui definitur ius alienis rebus utendi fruendi salva re-
 rum substantia. *Pr. Inst. d. Vusufr.* Multo minus usufructua-
 rius rei ipsius, live proprietatis alienandae facultatem haber.
l. 6. l. 11. C. d. Vusufr. conf. Carpzov. *c. l. D. 11.* ubi sequentem
 in modum pronunciatum fuisse meminit: **Ob wohl N. N.**
in obermeldtem seinen Testament diese Verschurg ge. han/
daß sein Weib die Güter nur allein auf ihr Leben zu genießen
 und

und zu gebrauchen haben solle. Dierweil aber dennoch dabey dieses gemeldet / daß Sie dieselbige zu veräußern berechtiget seyn soite; So ist Sie auch für eine bloße usufructuaria nicht zu achten/2c. Quod si tamen in casu summae necessitatis maritus testator viduae usufructuariae alienandi facultatem tribuere voluerit, secus statuit Carpzov. *d. l. D. 13.* Quod etiam decidendum venit, cum fructuario universali prohibita fuerit alienatio. *a. l. 19. ff. d. Vsufr.* Thomaf. *c. l.* Cum frustra adiecta prohibitio videatur, nisi cum effectu haec verba accipiantur *l. 44. ff. c. t.* Quamvis autem huic asserto non sine ratione opponi videatur, saepius testatores ea, quae ipso Iure tacite intelliguntur, verbis adiicere solere *l. 32. §. 6. ff. d. Aur. legat.* ista tamen obiectio nullius momenti est, cum contra praesumptionem legis frustra coniecturae a praesumptione hominis desumptae proferantur. Thomaf. *c. l.* Sed utrum hoc in casu uxor usumfructum omnium bonorum petere possit, si testator hisce verbis usus fuerit: *Meine Frau soll die Abnutzung von allen meinen Gütern haben/nach ihrem Tode aber soll mein Bruder mein Erbe seyn;* haud immerito disquiritur? Qui legatum tale subsistere non posse existimant, ea ratione nituntur, quod dies legati cedat tantum ab adita haereditate per haeredem institutum. *l. 2. ff. Quand. dies legat.* Cum igitur haeres non possit adire haereditatem vivente vidua, nec ipsa usumfructum posse petere videtur. Fachin. *Contr. Iur. l. 4. c. 18.* Alii expressam testatoris voluntatem sufficere sibi persuasum habent. Borgn. Cavalcanus *de Vsufr. Mulier. relict. Sect. 1.* Gail. *l. 2. Observ. 143.* Hisce difficultatibus ita se explicare annititur Ant. Fab. *in Cod. l. 6. t. 17. d. 17. n. 7.* ut interim Curator bonis detur, qui omnes fructus colligat, & servet, haeredibus uxoris, qua cautela parum consuli ipsi Viduae, solidis rationibus demonstravit Illustr. Dn. Stryk. *d. Caut. Test. c. 20. §. 23.*

XXVII. Nihilominus interdum quoque praesumpta-
 testatoris voluntas ad usumfructum omnium bonorum
 constituendum sufficere potest. Quod si enim (1) Testa-
 tor legaverit omnia bona, quoad vixerit; hoc in casu lega-
 tus usufructus praesumitur. Menoch. l. 4. Praef. 133. n. 12.
 Quae praesumptio, voluntate testatoris id admittente, se ex-
 ferere censetur, ita ut legatarium res legatas post mortem
 suam alteri restituere iussus fuerit. Carpzov. P. 3. C. 13. D. 12.
 eo ipso enim non proprietatem rei, sed saltem usumfru-
 ctum reliquisse existimatur. Paul. de Monte Pico in l. 34. §.
 7. qu. 26. n. 79. ff. d. Legat. 2. Nec minus (2) idem sentien-
 dum est, si illi legetur, qui usufructus tantum capax est.
 Boerius Quaest. 66. n. 4. Quod si igitur testator omnia bo-
 na immobilia Iudaeo legaverit, usufructus relictus esse
 censetur; cum Iudaei in plurimis locis immobilia possi-
 dere prohibeantur. Bodin. d. Republ. l. 3. c. 7. Stam. d. Ser-
 vit. Person. l. 1. lit. S. c. 1. §. 22. Huc spectant verba *Edicti*
Brandenb. d. Ao. 1693. Wenn wir denn aus denen darinnen
 angeführten/und mehrern Ursachen Bedencken tragen / de-
 nen dortigen Schutz: Juden zu verstaten/das sie in-und auf-
 serhalb der Stadt Häuser und immobilia an sich bringen / etc.
 conf. Dn. Böhmer. *Disp. d. Caut. Iudaeor. Toler.* §. 18. Enim-
 vero legatum praesumitur relictum secundum legatarii
 conditionem & qualitatem, ne alioquin sit inutile. a. l. 12
 §. 4. ff. d. *Vsu & Habit.* Quamvis vero (3) alii exinde quo-
 que coniecturam usufructus elicere velint, si testator reli-
 querit administrationem, & (ut vulgo dici solet) Guberni-
 um; nullam tamen praesumptionem exinde derivari
 posse existimamus, quia in dubio semper facienda est in-
 terpraetatio, ut testator praesumatur minus voluisse grava-
 re haeridem. l. 34. §. 5. l. 67. §. 8. ff. d. Legat. 2. Cravetta
 in *Conf.* 25. n. 25. 26. Quibus in casibus dubium non est, quin

D 3 ipfa

*Praesumpta
 quoque Testa-
 toris voluntas
 interdum suf-
 ficit.*

ipsa testatoris voluntas, eiusque declaratio, & coniecturae per testes probari possint, quorum duo sufficiunt ad declarationem voluntatis *l. 12. ff. d. Testib. Carpz. P. 3. C. 13. d. 33.*

*Vsusfructus
Generalis non
excedat do-
drantem.*

XXVIII. Ita tamen ususfructus omnium bonorum legari potest, ne excedat dodrantis aestimationem. *l. 29. ff. d. Vsufr.* Cum igitur haeres non habeat saluum dodrantem, quem ex lege Falcidia sibi servare poterat, eatenus aliquid decedit usufructui omnium bonorum. *c. l. Gail. l. 2. Obs. 143. n. 5.* Neutiquam tamen inficias ire licet, in computando, utrum quarta sit salva, ingentes difficultates oriri. Ioh. de Castillo *Tr. de Vsufr. c. 60.* Equidem Vivianus *ad c. l.* existimat, usumfructum omnium bonorum legari posse, excepta quarta, quae debet haeredi remanere de bonis. Sed male ita statuitur, nam tum haeres plusquam pro lege Falcidia haberet, quartam liberam, & proprietatem totius nudam. Nec minus quoque modus computandi ab Accursio initus adhuc difficultatibus laborare videtur. Huber. *ad Inst. t. d. Vsufr. d. 6.* Simplicior igitur est Aristonis sententia *in l. 1. §. 9. ff. ad Leg. Falcid.* quartam fructuum partem esse quotannis deducendam, quam opinionem ipsa Praxi corroboratam fuisse, testatur Huberus *c. l.* Quae difficultates a testatore evitari poterunt, si detractio Falcidiae ab ipso prohibita fuerit. *Nov. 1. c. 2. §. Auth. Sed cum testator. Cod. ad Leg. Falcid.* Non vero generaliora verba sufficiunt, Carpzov. *P. 3. C. 1. d. 13.* Dn. Stryck, *de Caut. Testam. c. 20. §. 44.* Sed in specie Falcidiae detractio inhibenda est. *cit. Nov. 1.* Quod si igitur forsitan testator sit imperitus, verbis germanicis, quoad eius fieri potest, res declaretur sequentem in modum: *Und soll mein Erbe nichts von denen Legatis abziehen / es werde gefordert / als der vierdte Pfennig zu latein Falcidia genannt.* Exinde enim de mente testatoris satis liquido constare potest.

XXIX. Quemadmodum vero extraneis haeredibus, usufructu omnium bonorum legato ex L. Falcidia quadrantein detrahere licet, ita liberis salvam legitimam cum usufructu relinquere testator debet. Dionys. Gothofr. *ad Legem nostram sub lit. D.* Cum igitur legitimae portionis nec usufructu defraudari liberi a parentibus possint *Nov. 18. c. 3. Auth. Novissima Cod. de Inoff. Testam.* exinde patet, legitimam non posse ita gravari a Patre, ut proprietates quidem bonorum legitimae assignetur filiis titulo institutionis, usufructus vero ad dies vitae alii concedatur. Marc. Anton. Cuchus *ad Auth. Novissima Cod. de Inoff. Testam.* Sic igitur inferre liceat, patrem quoq; indistincte cogi intuitu eiusdem usufructum relinquere liberis suis, ut interim ex illo usufructu alere se possint. Gothofr. *c. l. Brunnem. ad l. 29. ff. d. Vsufr. Zoef. ad ff. c. 1. n. 10.* Nulla propterea auctoritate gaudeat *Cautela 21. Barth. Caepollae*, cum statuatur, Patrem ita posse gravare legitimam filii, ut ipsum quidem haeredem omnium bonorum instituat, alteri vero usumfructum relinquere possit; cum legitima ab omni onere, quo & personae extraneae usufructus pertinet, libera relinqui debeat. *l. 32. Cod. d. Inoff. Test. Gomez. 2. Var. Resol. c. 11. n. 27.* Imo si a Marito quoque uxori relinquatur usufructus omnium bonorum, liberis autem proprietates loco legitimae, haec certe non continebitur in usufructu, sed prius legitima deduci debet. *Gail. l. 2. Obs. 144. n. 1.* Sed quid si Statuto superstiti uxori usufructus omnium bonorum relinquitur? Quo in casu statutum ita explicandum est, ut procedat deducta legitima liberorum. *Gail. l. c. n. 1. Fl. Paris. Vol. 5. Conf. 43. n. 50.*

XXX. Haud incommode vero occasione *Legis nostrae* adhuc hanc quaestionem discutiendam esse existimamus: utrum mater ita legare possit filio universorum bo-

*Neutiquam
Seco legitimae
debet praeiudicari.*

Mater in legitima Patris usufructum adimere nequit.

no-

norum usumfructum, ut pater nec in legitima materna filii hunc retineat? Quo in casu ademptionem ususfructus in legitima fieri non posse, satis perspicuum est *ex Nov. 117. cap. 1.* Cum ea non aliter matri, aviaeque ac reliquis ascendentibus Patri usumfructum adimendi potestatem reliquerit, quam $\mu\epsilon\tau\ \tau\omicron\ \kappa\alpha\tau\alpha\lambda\iota\pi\epsilon\upsilon\ \tau\omicron\iota\varsigma\ \pi\alpha\iota\sigma\iota\ \tau\omicron\ \epsilon\kappa\ \tau\ \nu\omicron\mu\omega\upsilon\ \delta\omicron\phi\alpha\lambda\omicron\mu\epsilon\nu\omicron\ \mu\epsilon\tau\epsilon\tau$, postquam reliquerit liberis portionem ex lege debitam. Non aliis igitur de bonis Novella loquitur, quam de illis, quae liberae subiacent matris ac aviae dispositioni. Cum vero legitimae plane diversa sit conditio, quae non nisi ex certis causis ingratas liberis adimi potest, adeoque nec ususfructus & $\delta\omicron\phi\epsilon\lambda\iota\alpha$ parenti exinde debita matris arbitrio subiacet. Brunnem. *Conf. 28. n. 15.* Papon. *l. 7. t. 1. arrest. 5.* Nec contrariam sententiam praesidium aliquod invenire statuimus in *Aurb. Excip. Cod. d. Bon. quae Liber.* Quippe quae a Novella dissidens nullam meretur auctoritatem. Dn. Mencken. *Contr. Iur. Civ. D. 1. 8. 1.* Cum vero intuitu extraneorum nulla detur legitima, eorum libertas hac ex parte nullo modo circumscribi potest, quo minus Pater aliqua ex parte eorum, quae filio relicta fuerunt, usumfructum percipiat. E diverso ususfructus iure Civili Matri in bonis liberorum nullus competit, cum patria in ipsam non cadat potestas. $\S. 10.$ *Inst. de Adopt.* Lauterbach. *d. Vsfufr. Pat. 8. 7.* Vnde ne Patris quidem voluntate Matri ususfructus legitimae relinqui potest. *a. l. 36. Cod. d. Inoff. Testam.* Multo minus autem sub usufructu omnium bonorum uxori a marito relicto ususfructus legitimae comprehenditur. Merlin. *l. 3. t. 2. qu. 7. n. 1. seqq.* Harprecht. *d. Vsfufr. Statut. Matrim. §. 29.*

*Nec portioni
 Statutariae
 hic ususfructus
 obest.*

XXXI. Quod ad portionem Coniugi superstiti ex statuto debitam attinet, ea per usumfructum generalem minui nequit. Huber. *ad π. t. d. Vsfufr. §. 6.* Cum alterutri

con-

coniugi licitum non sit portioni statutariae per legata praeiudicium inferre. Carpz. P. 3. C. 7. d. 2. Brunnem. *adl. un. ff. unde Vir & Vxor. n. 12.* Herold. *d. Iur. Repraesent. c. 1 concl. 1. n. 68.* Enimvero portio ista superstiti coniugi non ex provisione hominis, sed beneficio legis debetur. Quod autem ex lege datum est lucrum, privatus auferre non valet. Nov. 22. cap. 33. *in fin.* Ernest. Cothm. Vol. 1. *conf. 74.* Quam sententiam in foro Saxonico extra omne dubium positam esse, luculentissime constat ex P. 3. C. 7. Autor. *Constit. Constit. Saxon. tom. 1. P. 2. q. 26. n. ult.* Non igitur permittitur, ut maritus in totum, vel pro parte portionem coniugis statutariam imminuat, quod a Serenissimo Legislatore *dict. Constit.* expresse interdictum fuit sequentibus verbis: Daß der Mann nicht besugt sey/dem Weibe den dritten oder vierdten Theil/oder anders/so ihr nach seinem Absterben/vermöge einer Willkühr / oder wohlhergebrachten Gewohnheit aus des Mannes Güthern gebühret / gar oder zum Theil zu entwenden. Wie denn auch gleichergestalt hinwiederum dem Weibe nicht nachgelassen wird/dasjenige/was dem überlebenden Manne aus ihren Gütern zustehet/durch ein Testament oder andern letzten Willen zu vermindern. Nec refert, an coniux superstes quicquam intulerit nec ne, cum nulla habeatur ratio bonorum illatorum, sed duntaxat legis certam portionem ex bonis defuncti coniugi superstiti deferentis, quae tantummodo in coniugum successione attenditur. Coler. *Part. 1. Dec. 62. n. 3.* Quae dicta sunt, non parum lucis foenerari poterunt ex iis, quae proposita fuerunt à Carpzov. *ad d. C. D. 1.* ubi sequens praeiudicium: Und es hat euer Ehe-Mann von seinen väterlichen und andern Güthern euch weder Heller noch Pfennig zugebracht und eingewendet/wen ihr nun gleich solches durch Zeugen darthun und beweisen möchtet. So wäret ihr doch dannenhero be-

E

rühr:

rührtem eurem Ehe-Mann/ dasjenige/was ihm sonst nach Sächsischen Rechten/ oder der Orte Gewohnheit/ dermahls eins nach eurem Absterben aus eurer Verlassenschaft gebühret durch einen letzten Willen zu entziehen nicht befugt. Ex quibus rationibus Portio statutaria prius est deducenda, ac postea demum legata exsolvenda veniunt. Conf. Consultiß. Dn. Schacher. *Dissert. de Portion. Statutaria, quar. ill. Praei. inferr. poss. c. 2. n. 82.* Secus est, si pactis dotalibus aliud conventum fuerit, quo in casu coniux superstes conqueri nequit de privatione Portionis Statutariae, cum in Pactis Dotalibus renunciatio interposita fuerit. Carpzov. *P. 3. C. 7. D. 12.* Dn. Schacher. *c. Diss. c. 3. n. 135.* Nic. Boer. *Decis. Burdegal. 244. n. 2.* Struv. *Syntagm. Iur. Civil. Ex. 38. 0. 39.*

Usufructuarius nosfer ad inventarium conficiendum est obligatus.

XXXII. Dictum igitur fuit, usumfructum omnium bonorum nec legitimaе, nec portioni Statutariae praeiudicare posse. Iam haud incommode monebitur, quid a parte usufructuarii nostri, & intuitu inventarii, & respectu cautionis praestandae observandum sit. Quod ad prius attinet, usufructuarius universalis ad confectionem inventarii omnino obligatus est. Dn. Harprecht. *Vol. 5. Resp. 85. n. 95. seqq.* Mev. *ad Ius Lubec. P. 2. t. 2. a. 8. n. 78.* Munoz. *d. Ratiocin. Administr. c. 9. n. 11.* ita ut conditio rerum usufructuariatum, cum fruendi initium fiat, in testatum redigatur. *l. 1. §. 4. ff. Usufr. quem. cav.* Dn. Mencken. *Tr. Synops. Pand. c. t. p. 135.* Nec usufructuarius omnium bonorum ab inventarii confectione liberatur, licet ea expresse a testatore remissa fuerit. *a. l. 1. l. 4. Cod. de Usufr. Gail. l. 2. obs. 145. n. 10.* Fab. *in Cod. l. 6. t. 11. D. 43. n. 2.* Quia confectio inventarii est necessarium antecedens ad ipsam cautionem praestandam. conf. Dn. D. God. Nic. Itigius *in Dissert. de Subpression. rer. ad Invent. haered. pert. c. 1. §. 5. seqq.* Carpzov. *P. 3. C. 13. D. 14. n. 2.* Quod si tamen confectio inventarii re-

remissa fuerit, usufructuarius non tenetur facere inventarium secundum solennitates *l. fin. Cod. d. Iure Deliber.* Sed sufficit Descriptio bonorum, quae loco inventarii erit. *l. 1. §. 4. ff. Vsufr. quem. cav.* Gail. *l. 2. Obs. 144. n. 16.* Richter. *Decif. 19.* Quo spectat praeiudicium allegatum a Carpz. *c. D.* Ob nun wohl bemeldete Wittibe ein zierliches inventarium, wie sichs sonst gebühret über ihres verstorbenen Ehe-Mannes Verlassenschaft auffrichten zu lassen und von der jährlichen Abnützung der Güter Rechnung zu thun vermöge obberührter Verordnung nicht verpflichtet; so ist sie doch ein gewisses Verzeichniß solcher Verlassenschaft auch zu übergeben/und auch genugsame caution zu bestellen schuldig.

XXXIII. Praeterea cavere debet Usufructuarius generalis (1) se usurum rebus usufructuariis boni Viri arbitrata. (2) se finito usufructu, id, quod inde supererit, restitutum. *l. 1. ff. Quemad. Vsufr. cav. conf.* Dn. Mencken. *cit. t. p. 135.* Cum ergo cautionem in vero usufructu praestandam desideret Praetor, non pignora, sed fideiussores necessarii erunt. *l. 7. ff. d. Praet. Stipulat. l. 13. pr. ff. de Vsufr. §. 1. ff. Qui satis dare cog.* Nulli tamen dubitamus, quin hodie quoque pignorantia cautio sufficere possit. *Ord. Proc. Sax. T. 13. §. fin.* Dn. Stryck. *in Vsu modern. t. Vsufr. quem. adm. cav. §. 2.* Imo iuratoria quoque cautio admitti solet, si usufructuarius fideiussores reperire non possit, praetereaque sit persona fide digna nec prodigalitate notam sibi contraxerit. *Auth. Generaliter Cod. de Episc. & Cleric.* Ioh. Koeppen. *P. 2. Dec. 33. n. 14. seqq.* Quid vero decidendum est, si fides usufructuario iureiurando praestito haberi nequeat? Quo in casu ipsum iacturam tacere usufructus nonnulli existimant. *l. 7. ff. Vsufr. quem. cav.* Sed haec sententia nulli solido fundamento superstructa est, neutiquam enim sequitur, quia cautio non praestita res

*Nec minus
cautionem
praestare de-
bet.*

fructuaria vindicari potest, ergo usufructu quoque usufructuarius privandus est, ut egregie hoc deduxit Dn. Stryck. *c. l. §. 3.* Sufficit enim, ei possessionem tantum auferri, & in sequestrem interim transferri, a quo annuos fructus recipere licet usufructuario. *a. l. §. 1. ff. ut Legat. nom. cau.* Quemadmodum in Germania invaluisse testatur Kœppen *d. Decif. 33. n. 16.* Licet autem in Gallia usufructuario generali cautionem testamento remitti posse, extra dubium constitutum sit. conf. Mornac. *in l. 7. ff. d. Vsufr. ear. rer. quae usu conf.* contraria tamen sententia in iure nostro obrinet *l. 1. Cod. de Vsufr.* partim quia aequum est, ut de re sua proprietarius aliquam habeat certitudinem *l. 13. ff. de Vsufr.* partim quia cautio in favorem haeredis introducta est, & non ipsius testatoris *Dec. Conf. 565. n. 2. Gail. l. 2. obs. 145. n. 3. seqq.* Qua ratione, uti recensuit Dn. Philippi *ad Inst. Jurid. l. 2. t. 4. n. 12.* pronunciare non dubitavit Ordo ICTorum Helmstadiens. mens. Decembr. Ao. 1607. Wann Detloff Kanzowen Wittib/eurer Kinder Groß Mutter/nach Inhalt mehrberührten Testaments bey dem Vsufructu der sämtlichen Güther solte gelassen werden / ist sie auf den Fall eine gebührliche cautionem Vsufructuariam, dessen ungehindert / daß der Testator ihr dieselben erlassen/ zu bestellen schuldig / oder können auffendliche ihre Verweigerung solche Güther ad sequestrationem gebracht werden. *B. X. W.* Cum vero quisque favori pro se introducto renunciare possit. *l. pen. Cod. de Pact.* Haeredi quoque licet usufructuario sponte sua cautionem remittere. Stryck. *in Vsu mod. c. t. §. fin. Gail. l. 2. obs. 145. n. 12. Locammen. Qv. 186.*

Vtrum traditio accedere debeat.

XXXIV. Quae si omnia rite sese habeant; haud immerito id adhuc dispiciendum est, utrum ad plenam usufructus omnium bonorum legati constitutionem, &

ac-

acquisitionem necessaria quoque sit traditio quaedam? Equidem si a conventionione iste usufructus dependeat, parientia Domini omnino opus est, qua usufructuarius uti incipiat, atque sic in quasi possessionem utendi fruendi veniat. *a. l. 3. in pr. ff. d. V. O. & a. l. 2. ff. de Vusufr. l. 11. § 1. ff. de Public. in rem act.* Ast vero usufructu universalis legato constituto ista quasi traditio opus non esse existimamus, cum ad acquirendum usumfructum post aditam haereditatem sola agnitio sufficiat. *a. l. 86. §. 2. ff. d. Legat. 1. fac. l. 29. ff. de Vsu & Vusufr. leg. l. 25. §. 7. ff. de Vusufr. Lauterb. Conclus. Theor. Pract. Ex. 17. d. 2. conf. Dn. Gilien d. Vusufr. Tb. 18.* Legatarius tamen propria auctoritate possessionem capere nequit. *Gail. l. 2. Obs. 145. n. 6.* Sed ab haerede, ut sibi ea praestetur, petere debet. *l. 29. ff. de Vsu & Vusufr. Bachov. ad Treutler. Vol. 1. Disp. 16. d. 3. lit. a. Ludwell. ad §. 1. Inst. c. 1.*

XXXV. Vsufructus generalis igitur pure legati dies non prius, nisi ab adita haereditate cedit. *l. un. §. 2. ff. Quand. dies Vusufr. Leg. ced. l. 2. Cod. eod. licet aliorum legatorum dies statim a die mortis testatoris cedat. l. 80. ff. d. Legat. 2. l. 5. §. 2. Quand. dies leg.* Propterea vero usufructus legati dies a morte testatoris cedere nequit, quia Ius hoc personale ad haeredes non transit. *l. un. §. 6. Cod. de Caduc. roll. Maier. in Colleg. Argentor. 1. quando dies legat. Vusufr. ced. §. 1.* Inde si post multos demum annos adeatur haereditas, non debetur usufructuario usufructus omnium annorum, sed iste tantum, qui ex die aditionis percipi potest. *Ludwell. Ex. 5. d. 9. lit. C.* Nam ubi nulla petitio fructuum est, ibi quoque nondum praestandi; Iam vero ante aditam haereditatem nulla actio de usufructu competit. *l. 1. §. fin. c. 2.* Sed cum hac ratione haeres per aliquot annos in summum usufructuarii praerudicium aditionem differre possit; haud iniquum erit, ut fructus a tempore morae, non a tempore aditionis praestentur, cum haeres teneatur, quanti legatarii interfit,

*A quo tempore
Vusufructus
noster peti possit.*

moram factam non esse. *l. 26. §. ult. l. 37. ff. d. Vsfufr. Dn. Stryck. in Vsu mod. t. quando dies leg. Cuiac. l. 23. obs. 10 in fin.*

Effectus explicantur.

XXXVI. Effectus usufructus omnium bonorum constituti in eo consistit, ut, quatenus earum rerum fert conditio, omnium debeantur fructus; cum usufructuarius omnes omnino redditus, tam qui ex rei corpore, quam eius occasione proveniunt, suos faciat. Idcirco nullo fructuum discrimine habito eos omnes lucratur. *l. 7. pr. l. 9. pr. l. 12. §. 5. l. 58. l. 59. §. 1. ff. de Vsfufr.* Sed cum perceptione fructus acquirantur; ideo si usufructuarius maturis quidem fructibus, nondum tamen perceptis diem obierit supremum, ad haeredes eius non pertinent iure Civili §. 37. *Inst. d. R. D.* Nihil autem interest, sive percepti sint per ipsum, aliumve eius nomine *l. 61. §. 8. ff. d. Furtis. l. 13. ff. Quib. mod. Vsfufr. Struv. S. I. C. Ex. 12. §. 18.* Iure vero Saxonico res aliter se habet, ut pote quo labore maximo perfecto fructus statim transmittuntur ad suos haeredes. *Q. R. l. 3. a. 76. l. 2. a. 58. P. 3. Const. El. 32. §. gleichfalls.* Hinc vulgo dicitur, was die Egede bestrichen/und die Hacke bedeket hat / das folget dem Erbe. Iura enim Saxonica non perceptionis tantum, sed insuper culturae rationem habent.

Quae Iura Vsfufructuario in metallis, & Iure Patronatus competunt.

XXXVII. Concessa itaque omnia fructuario generali, quae vel ex ipsa re proveniunt, vel eius occasione acquiruntur. Hinc ipsi licet quoque venas metallorum inquirere, fodinas instituere *l. 13. §. 5. ff. de Vsfufr. conf. supra §. 17.* Imo cum fructus fundorum quoque nonnunquam venatione constent; itidem Ius usufructuarii nostri eo extendi potest. *l. 26. ff. d. Vfar. l. 9. §. 5. ff. d. Vsfufr.* Ius Patronatus quoque huc pertinere, iam ostensum fuit §. 20. *Dissert.* Quod si igitur bonorum universitati Ius Patronatus adnexum sit, etiam Ius praesentandi ab Usufructuario generali exerceri posse, recte deciditur. Carol. Molinaeus *ad Consuet. Paris. §. 1. Gloss. 1. n. 3.* Ioh. del Castillo *de Vsfufr. c. 36. n.*

35. Cardin. de Luca *de Iure Patronat. Diff. 62. n. 10.* Praeter ea silentio non est praetereundum, ad usufructuarium nostrum non tantum canonem annuum Emphytevicum, *der jährliche Erb-Zins* / verum etiam si, stante adhuc usufructu, emphytevicum praedium alienetur, Laudemium das *Lehn-Geld* / oder *Ehe-Schatz* pertinere Franzk. *de Laudem. c. 7. n. 53.* Francisc. Fulgin. *de Iure Emphyteutico t. de Laudem. Qu. 21. n. 5.* conf. Card. Tusch. *Pract. Concl. Iur. Tom. 7. concl. 316.* Quod ad compendium mulctarum attinet, an liberi vel alii proprietarii in praeiudicium fructuariorum illas remittere possint, nec ne, erudite discussit Voet *ad tit. π. de V. sufr. l. 27.* Verstege. *de V. sufr. Obs. 15. p. 213.* Harprecht. *ad §. 2. n. 68. Inst. de V. sufr. seqq.*

Quid sentien-
dum sit de ca-
none Emphy-
teutico,

XXXVIII. Quid vero in Praxi obrineat, si usufructus generalis constitutus fuerit, cum quaestio ventiletur: Vtrum a satisfactione pro reconvensione & expensis liberet, inter DD. disquiritur. Licet autem Carpzov. *P. i. C. 5. d. 21.* in foro Saxonico onere satisfactionis haud gravandum esse existimet usufructuarium, rationem tamen huius asserti non satis firmo fundamento niti statuit Dn. Stryck *in usu mod. t. qui satisfacere cog. § 10.* Quamvis enim fructus rastro subacti in Saxonia cedant usufructuarii haeredibus; facile tamen fieri potest, ut usufructuarius antea naturae debitum solvat, aut eius haeredes fructus in praeiudicium reorum dissipent. conf. Schilter. *Prax. For. Exerc. ad π. 7. §. 22.* Diff. Dn. Harprecht. *de V. sufr. Stat. Mat. Eff. §. 25.*

An usufructus
liberet a
cautione pro
reconvensione
& expensis.

XXXIX. Ad commoda iam recensita ex usufructu universorum bonorum legata obtinenda, sequentia competunt remedia. Habet enim usufructuarius Ius perfequendi hunc usum fructum actione ex testamento, ut patiat haeres exerceri constituta. semel servitutem. Schilter. *ad π. Ex. 17. §. 24.* Non tantum vero actione in personam periri, sed quoque actio confessoria, adversus eum, qui impedire

Quibus actio-
nibus uti li-
ceat.

dire cupit usufructuarium, optime applicari potest. *t. t. Si servitus vind. §. 2. Inst. de Act.* Neutiquam tamen actionem hypothecariam, seu quasi Servianam usufructuario generali accommodari posse existimamus, quippe quae legatariis in reliquis defuncti bonis tantummodo competit; non vero in ipsa re legata, quia nemini sua res pignoris vinculo obstricta esse potest. *l. 45. ff. d. R. I.* Ut vero plenius consulatur usufructuario nostro, nullum dubium superest, quominus ob Ius legati ex testamento liquidum, legitimo contradicatore deficiente, a Iudice implorato e vestigio in possessionem rei legatae mitti possit. *l. fin. Cod. de Edict. Div. Hadr. coll. Iul. Clar. Sentent. l. 3. §. testamentum qu. 68. n. 2.* Quapropter ex testamento indubitatae fidei a legatario executive agi posse, patet ex *Ord. Provinc. d. A. 1555. t. Versegte Brief und Siegel.* Dn. Mencken. *Tr. Syn. Pand. t. d. Legat. p. 425.* conf. Dn. Berger. *Supplem. Discept. Forens. t. 5. n. 9.* Caeterum ad tuendam quasi possessionem sui Iuris fructuarii eidem instituere licet interdictum Vnde vi. *l. 3. §. 13. 14. & 17. ff. d. Vi Armat. Vti possidetis l. ult. ff. Vti possid. Dn. Berger. Elect. Proc. Poss. §. 21.* Quod vi aut clam. *l. 12. ff. Quod vi aut clam.* Porro etiam facultas novum opus nunciandi, & de damno infecto cautionem exigendi procul dubio ei competit. *l. Vn. ff. de Remiss. l. 1. §. fin. ff. de Nov. oper. nunc. l. 13. §. 8. ff. de Damn. infect. Lauterbach. de Vusufr. Patern. §. 29.*

Onera quoque
ad Vusufructua-
rium genera-
lem spectant.

XL. Quemadmodum in usufructuarium universalem omnia emolumenta, quaecunque ex rebus usufructuariis proveniunt, redundant, ita nonnulla onera quoque merito suscipit. *cap. 55. d. R. I. in 6.* Nam & curam servandis rebus adhibere, & incommoda avertere debet. *§. 38. in fin. Inst. de R. D. l. 1. 2. ff. Vusufr. quem. cau.* Praeterea quoque census annuos, tributa, & collectas, aliaque onera sive ordinaria, sive extraordinaria solvat. *l. 13. §. 2. ff. d. Impens. in rem Dor. l. 13. Cod. d. Act. Emt. Treutler. Vol. 1. Disp. 16. §. 13. lit.*

lit. B. Quo etiam pertinet munus metallorum, nec non sumtus militibus in hospitium receptis impendendi. Tabor. *de Metat. c. 3. n. 20.* Richter. *Decis. 20. n. 10.* Quod si vero bonorum usufructuorum onera tanta sint, ut fructuum quantitatem excedant; id oneris a proprietario sustinendum esse iudicamus. Richter. *Dec. 20. n. 7. 8.* Stephan. Gratian. *Discur. Forens. t. 1. c. 123. n. 4.* Quod ad litis impensas attinet; fructuarius quidem eas prorogare debet, ita ut finito usufructu eas in expensas referre, & deducere possit proprietario, uti iudicatum meminit Huber *ad w. t. d. V. usufr. §. 12.* Nihilominus hac ex parte quoque usufructuarium nostrum ad modicos litis sumtus praestandos obstrictum esse censemus. Conf. Dn. Berger. *Supplem. Discept. For. tit. 49. n. 1.*

XLI. Qua occasione haud abs re fore arbitramur, ut quaestionem ventilemus: utrum usufructuarius omnium bonorum ad legata praestanda, & aes alienum exsolvendum sit obstrictus? Quod omnino negandum est, cum haeredi id incumbat, & legata sint praestanda, nec non aes alienum deducendum, antequam de bonis revera constare possit. *l. ult. ff. de V. usufr. Leg. Carpz. l. 1. R. 104.* Usufructus enim, licet universalis, sola tamen testatoris bona afficit; bona vero non dicuntur, nisi aere alieno prius deducto. *l. 39. l. 49. ff. d. V. S. l. 11. ff. d. Iur. Fisc.* Dn. Harprecht. *Vol. 5. Resp. 85. n. 469.* Praeterea indubitati Iuris est, onera haereditaria ad haereditatem spectare. *l. 1. Cod. Si cert. pct. Gail. l. 2. obs. 146.* Hoc vero certum est, debere fructuarium generalem pati, ut aere alieno de bonis deducto usufructus eius consequenter minuatur. Dn. Swendend. *ad Eckold. t. d. V. usufr. §. 6. voce. Neque legata.* Huber. *c. 1. §. 7.* Quamvis vero alii aes alienum ab usufructuario solvi debere statuunt. conf. Barthol. *ad l. fin. ff. de V. usufr. leg.* hanc

An ex Usufructu generalis legata & aes alienum solvi debent?

tamen sententiam ab omni ratione civili alienam esse, solide demonstravit Zoel. *ad ff. de Vsufr. n. 32.* ita ut neutriquam distinctio inter aes alienum, & legata admittenda sit. Huber. *c. l. Covarruv. l. 2. Var. Resol. c. 2. in fin.* Vt-
cunque sit, legatum tamen annuum ex ipso usufructu, si id ferat eius magnitudo, dissolvendum esse volunt. *l. fin. Cod. de Bonis, quae Liber. Carpzov. l. 1. R. 114. n. 3. Dn. Thomaf. ad Strauch. Vniv. Ius Instim. Tb. 32. voce. Nisi de annuis.*

Modi dissol-
vendi Vsum-
fructum gene-
ralem recen-
sentur.

XLII. Ne vero usufructus univerforum bono-
rum legatus plane inutilem proprietatem reddat, sem-
per abscedente usufructu; Hic certis modis iterum ex-
tinguitur, & ad proprietatem revertitur §. *fin. Inst. de Vsufr. l. 56. ff. eod.* Desinit vero hic usufructus morte naturali, quia est Ius personale. Quod si vero legatum usufructus generalis pro se & haeredibus constitutum fuerit, cum primi gradus haeredibus nihilominus finitur *l. 14. Cod. de Vsufr.* Alias enim usufructus nunquam rediret ad suam proprietatem. Dn. Stryck. *Vsu mod. c. l. §. 3.* Nec minus morte civili hoc Ius expirat, quae contingit capitis deminutione maxima & media. *l. pen. Cod. d. Vsufr. l. 63. in fin. ff. pro Soc.* Hodie Banno usumfructum nostrum amitti, nulli dubitamus. *O. C. P. 2. t. 9. §. 2. Carpzov. Prax. Crim. qu. 130. n. 52.* Porro usumfructum interitu rei amitti expediti Iuris est. *l. 53. ff. de Vsufr.* Alia vero ratio est usufructus omnium bonorum, qui certae rei interitu perire nequit, quod Iuri nostro non refragatur, ubi pariter inter usumfructum univerforum bonorum, & rerum singularium differentia illa ratione rei peremptae, sed restitutae satis accurate proponitur *l. 34. §. 2. ff. de Vsufr.* Verba ita sunt concepta: *Qui bonorum usumfructum legat, non solum eorum, quae in specie sunt, sed & substantiae omnis usum-*

usufructum legare videtur. Conf. Beyer. *Iustin. Controv. Exerc. 6. n. 19.* Imo licet usufructus quoque per abusum & rerum deteriorationem amittatur. §. 3. *Inst. d. Vusufr. l. 10. ff. h. t.* Anton. Faber. *in Cod. l. 3. t. 23. D. 2.* Dn. Stryck. *de Abusu Iuris quaesiti c. 3. n. 20.* Quod si tamen usufructuarius universalis tantummodo unam rem deteriore red- dat, ipse omnium bonorum usufructum neuiquam a- mittit. Struv. *Exerc. ad π. 12. θ. 34.* Bachov. *ad Trentler. 1. D. 16. θ. 6. lit. F. in fin.* Hinc Pomponius asserit: *Quod extra mor- tem naturalem, & civilem bene fieri possit, ut reliquae causae vel pro parte interitum usufructus recipiant. l. 1. ff. Quibus mod. Vusufr. amitt.* Caeterum nihil obstat, quo minus u- usufructus generalis consolidatione finiatur; si nimirum proprietarius usufructum, vel contra usufructuarius proprietatem casu aliquo obtinuerit. *l. 17. ff. Quibus mod. Vusufr. amitt.* Tandem si usufructus generalis ad diem, vel sub conditione relictus fuerit, die veniente vel condi- tione existente ipso Iure finitur usufructus. *l. 12. Cod. de Vusufr. l. 25. ff. quibus mod. Vusufr. amitt.*


XLIII. Sufficere haec possunt, ad indolem usufru- ctus omnium bonorum legati explicandam. Antequam vero Dissertationi colophonem imponamus, adhuc mo- nere liceat; pari ratione usufructum omnium bono- rum ineventum mortis donari posse. *l. 1. 21. Cod. Mand. conf. l. 1. §. 2. ff. Vusufr. quem. cav.* Licet autem Donatio mortis causa in omnibus prope cum legato aequiparetur. *l. 15. l. 37. ff. d. Mort. Caus. Donat.* Notatu tamen dignum est, in Electoratu Saxoniae deductionem Falcidiae non admitti, si in casum mortis usufructus omnium bonorum donatus fuerit. conf. *P. 3. Conf. El. 1.* verbis: *Daß also die Falcidia in unsern Landen in diesen und andern Donationen/ so auff den Todes-Fall geschehen, nicht statt haben soll.* conf. Carpz.

De Vusufructu omnium bonorum m. c. donato agitur.

44 DISSERT. DE VSVFR. OMNIUM LEGATO.

Carpzov. *ad cit. C. D. 5.* Quamvis igitur talis donatio iuxta legem nostram excedat dodrantis aestimationem, nullum ius tamen competit detrahendi Donatoris haeredibus ab intestato. Modest. *Pist. P. 1. quaest. 48. n. 14. seq.* Coler. *P. 1. Dec. 12. n. 71.* Cum vero Falcidia ex Donationibus mortis causa omnium bonorum de Iure communi indistincte deducatur *l. 5. l. pen. Cod. ad Leg. Falcid.* Dicta Lex nostra rite applicari poterit, usufructu omnium bonorum mortis causa donato. Caeterum Iure quoque Saxonico Electorali talis donatio liberorum legitimae praeiudicium inferre nequit. Carpzov. *c. l. D. 8.* Anton. Faber. *in Cod. l. 8. Tit. 37. D. 7.* In praesenti vero haec dixisse sufficiat, nihil igitur superest, quam ut Divinae clementiae nos committamus, simulque Lectoris Benevoli favori de meliori nota nos commendemus.

S. D. G.







KD18

ULB Halle
005 303 664

3







M. Carol. Godofred. Ittigivs. H. Lips.

1708, II
3469-1348

DE
**VSVFRVCTV
OMNIVM BONORVM
LEGATO**

Occasione L. 29. ff. de Vsufructu

CONSENSV
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA PATRIA

P R A E S I D E

D. IO. FRIDER. OLEARIO, P.P.

PVBLICE DISSERTET

M. CAROL. GODOFRED. ITTIGIVS,

L I P S.

AD D. XIX. IVNII ANNO M DCC VIII.

L I P S I A E,

LITERIS IMMANVELIS TITIL

